


SUBSIDIA DIPLOMATICA
AD
SELECTA JURIS
ECCLESIASTICI GERMANIAE
ET
HISTORIARUM CAPITA ELUCIDANDA
EX
ORIGINALIBUS ALIISQUE
AUTHENTICIS DOCUMENTIS
CONGESTA, NOTIS ILLUSTRATA ET EDITA
a
STEPHANO ALEXANDRO WÜRDTWEIN,
Eminentiſſ. ac Celſiſſ. Archi Epiſcopi Princ. Elect. Moguntini Conſiliario Eccleſ. Officiale &c. Inſignis Eccleſiæ Colleg. B. M. V. ad Gradus Decano &c.

TOMUS UNDECIMUS.



FRANCOFURTI ET *LIPSIAE*
APUD TOBIAM GOEBHARDT,
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS BAMBERGENSIS
MDCCLXXVII.

AMICO LECTORI SALVTEM!

Negotium quam difficile & arduum ſit, Diplomatum medii ævi, quotquot occurrunt, Chronologiam ad amuſſim diffinire, noverint omnes, qui Rei Diplomaticæ ſtudia ſua præprimis conſecrarunt. Fuit hos inter fatis nuper præ maturis functus Antonius Udalricus ab Erath, qui hac de re ſollicitus laborem adgreſſus eſt, unius hominis ævo non abſolvendum. Media autem, queis difficultatibus hiſce Chronologicis ſe ſe extricare voluerit ſic exponit: *) *Adornavi ante annos aliquot, ut tandem filum quaſi Ariadneum in hoc labyrintho aſſequerer, in extenſo ut juris Conſulti dicunt Calendarium Romano-Germanicum Medij ævi, in quo præ-*

*) Cod. Diplom. Quedlinburg. pag. 980.

ter ea, quæ ad Computum anni vulgaris juliani generatim ſpectant, diverſus diverſarum gentium, regionum, civitatumque circa exordium anni ſtilus, cum ſingulis ſuis periodis, origo itidem feſtorum Eccleſiæ Germanicæ eorumque varietas & quicquid inſuper ad pleniorem Calendarii tam eccleſiaſtici, quam civilis cognitionem pertinere videtur, uſuique in antiquis rebus eſſe poteſt ab anno p. C. N. DCCLI. usque ad emendationem Calendarii Gregorianam ita commonſtratur, ut præeunte hoc ſchemate individuali, non ſolum quilibet veteri more notatus dies nullo negotio enodari & ad computum vulgarem reduci, ſed etiam Diplomatum aliorumque Documentorum & relationum hiſtoricarum iſtius ævi examen reſpectu temporis, quod in acto & dato præ ſe ferunt, recte inſtitui abſolvique poſſit. Exemplum eſt unicum partim prelo ſubjectum, partim libera manu Dillenburgi anno 1761. *impreſſum, partim calamo exaratum, in IX. Tomos juxta rationem ſeculorum diviſum. Unicum non niſi hactenus fieri poterat pro qualitate inſtituti. Hoc ut perfectiſſimum evadat etiam atque etiam curo.*

Cum itaque Vir iſte Solertiſſimus primas ſolummodo manus operi adpoſuerit, cum veris rei Diplomaticæ æſtimatoribus quam maxime optamus, ut ejusdem collectanea

pro-

pro aliquali saltem usu & intento nostro coadjuvando in lucem proferantur.

Interea, dum illa expectamus, nostras exhibemus observationes circa varium anni initium in variis Germaniæ diœcesibus usitatum, ut juxta easdem data Diplomatum &c. rite determinari valeant.

Germania, cujus pars maxima & præcipua est Provincia Moguntina annum a Nativitate Christi, nempe a XXV. Decembris auspicata fuit. Discimus id ex Scriptoribus coævis antiquioribus; ita enim Wippo de Vita Chunradi Salici: Inchoante Anno Nativitatis Christi MXXVII. *Rex Chuonradus in ipsa Regia Civitate natalem Domini celebravit.* Idem paulo infra: *Igitur Rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno, ut supra, id est, a Nativitate Salvatoris MXXVII. indictione decima &c.*

Bruno in historia belli Saxonici: *Natalis Dominici festivitatem, ubi MLXXVI. annus ab Incarnatione Domini inchoatur, convocatis ad se suarum partium Episcopis, animo non festivo Goslariæ celebravit.* Henricus Imperator. & infra: *Transacto vero Natali Domini proximo, quo MLXXXI. ab Incarnatione Domini inceptus annus erat Heinricus Ex Rex Italiam disponebat ingredi.*

Waltramus de unitate Ecclesiæ conservanda lib. secundo: *Occisus est in seditione quadam popularium suorum Nonis Aprilis in quarta feria Dominicæ passionis, Anno scilicet MLXXXVII. a tempore Dominicæ Nativitatis.* & infra: Imperator (Henricus) obsederat munitionem quamdam Marchionis in Thuringia, tum & ipse vicissim ferro & igne devastans circumquaque omnia cœpit obsidere castellum Quittilingeburg . . . Ecce flexit viam Hartvigus, ne Marchioni fieret obvius, cum diversis itineribus ipse tenderet in saxoniam, ille autem in Thuringiam, ubi tunc dimicatum est *in ipsa Nativitatis Domini vigilia, quæ tunc obvenerat die Dominica, quando terminum accepit annus ab Incarnatione Domini MLXXXVIII.*

Hinc Scriptores Chronographique Germaniæ eundem morem secuti annos semper a Nativitate Domini in Chronicis suis numerarunt. Exemplo sit Dodechinus Mariani Scoti continuator qui annum MCI. sic orsus est: *Imperator Nativitatem Domini Moguntiæ celebravit, Pascha autem Leodii.*

MCII. Cyclus 19. incipit, indictione 10. Imperator Nativitatem Domini Moguntiæ celebravit.

MCIII.

MCIII. Imperator Nativitatem Moguntiæ celebravit.

MCIIII. Imperator Nativitatem Domini Ratisbonæ celebravit.

MCVI. Imperator ante Nativitatem Domini a filio capitur. Henricus Rex Nativitatem Domini Moguntiæ celebravit, ibique conventum habuit de habenda pace.

MCVII. Rex Nativitatem Domini Ratisbonæ celebravit, Paſcha vero Moguntiæ.

MCVIII. Rex Aquisgrani Nativitatem Domini celebrat.

MCIX. Rex Nativitatem Domini Moguntiæ celebravit &c. &c.

Idem obſervarunt Scriptores Angli ut tradit Gervaſius Dorobernenſis. *Hac* inquit, *ut æſtimo, ratione inducti ſunt omnes fere, qui ante me bujusmodi chronicas ſcripſerunt, ut a Natali Domini ſubſequentis anni ſumerent initium.*

Obſervantia hæc perduravit usque ad ſeculum XV. quo etiam Summi Pontifices variarunt circa anni initium, id jam numerando a 25. Decembris, jam a 25. Martij & ſubin a prima januarij.

Cum tandem Seculo XVI. Caroli IX. Gallorum Regis edicto anni 1564. cautum fue-

rit, ut in Galliis in publicis privatisque tabulis ab Kalendis januarij annorum repeteretur exordium, hoc exemplum anno 1575. Belgæ ſunt ſecuti, quo Olivarius de Wræo, uti obſervat *Mabillonius de re Dipl. lib. 2. c. 23.* tradidit novum calculum mandato Philippi II. Prius a paſchate ut Galli exordiebantur. Hanc ante reformationem Hiſtorici nonnulli utrumque calculum non raro exprimebant, ut in hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodor: ubi Audoinus in cap. 76. translatus dicitur ad ſedem Magalonenſem anno quinquageſimo tertio (nempe poſt 1300.) more curiæ Romanæ in Nativitate Domini, more autem Gallicano anno quinquageſimo ſecundo, quem duplicem modum idem auctor diſtinguit etiam in ſeqq. Cap. ad 80. atque inde evidens fit Annos Incarnationis apud Gallos etſi a Paſchate incœptos, non prævertiſſe annos Nativitatis receptos a Romanis, ſed trimeſtri ſpatio poſteriores fuiſſe, quod maxime notandum eſt; tametſi Incarnatio nativitatem novem menſibus præceſſerit. Quippe Galli annos Incarnationis & Nativitatis quin imo & Paſſionis promiſcue adhibebant ſeu confundebant, quod exemplis probat idem Mabillonius c. 23. n. 8. & 16.

De

De Supradicto Anno, quo Galli initium anni immutarunt, sic Petavius in Rationario temporum lib. IX. pag. 635. *Maximilianus II. Romani Imperij titulum recepit an.* 1564, *qui annus ad rationem computandorum temporum insigne illud attulit, quod Caroli edicto cautum est in Galliis, ut in publicis privatisque tabulis ab Calendis januarijs annorum repeteretur exordium, quod hactenus a paschate vel Incarnatione capi consueverat.* & Spondanus in Annal. Eccles. Tom. II. pag. 663. ad an. 1564. *Memoria dignum est, quod cum semper ante id usque temporis in Actis juridicis aliisque publicis notari consuevisset anni principium (in Galliis) a die paschæ; unde ob incertos & mobiles ejus celebritatis dies, magna confusio in decretis & contractibus ac præcipue in conservanda rerum memoria & gestis conscribendis oriebatur; edicto cautum fuit, ut imposterum anni initium more Romano a Calendis januariis putaretur & ita in omnibus actibus publicis privatisque servaretur.* Hunc morem insecutæ sunt Provinciæ sibi invicem contiguæ, ut per usum uniformem publicæ rei consuleretur.

Quod Trevirenses Gallorum vicinorum computandi usum fuerint imitati, jam satis

diximus in præfatione Tomi Subsid. Dipl. decimi. *)

Diœcesis Leodiensis Provinciæ Coloniensis Suffraganea sic ordinavit circa principium anni: **) Et ne circa discretionem temporum præcedentis videlicet & sequentis error quicquam valeat perturbare, attendendum est, quod a tempore, cujus memoria non existit, annorum Nativitatis Domini cumulatio sive cujuslibet anni succrescentis initium in cereo consecrato paschali hactenus appensa depingi tabula consuevit & ab illa hora annus Dominicus inchoabat. sed quia Romana & Coloniensis Ecclesiæ Leodiensis Metropolitica sedes in die Natalis Domini annorum ponebant principia singulorum, cujusmodi diversitate plures occurrebant difficultates & frequentes errores, ne diutius in hoc irrationabiliter membrum a capite discreparet, statutum est, ut a Nativitate Domini nuper præterita, quæ 1333. usque ad pascha sequens scribi juxta morem pristinum debuisset, anticipando tempus, anni deinceps initium capiatur. Sicque Leodienses, uti testatur Mabillo-

*) Conf. Reverendissimi ab Hontheim histor. Trevir. Dipl. Tom. I. pag. 460. Tom. II. pag. 139.

**) vid. Joannes Hocsemius in Gestis Pontificum Leodiensium cap. 1.

billonius *) Gallorum morem ad annum 1333. secuti sunt, deinceps vero Germanorum.

Heda in Episcoporum Ultrajectensium historia **) notat, quod anno MCCCXIII. ibidem Annus a Nativitate Christi numerari cœperit, cum ante a Conceptione Domini initium cœpisset. & infra: ***) *Carolus occiditur quinta januarij.* nonis januarii anno 1477. tradit Huterus & cum eo Bockenbergius, Haræus, Locrius, Chronic. Hollandiæ, Cominæus, Jo. Nauclerus, Paraleipomena ad Chronic. Ursperg. Ubbo Emmius & plerique scriptores. Meyerus autem Flandr. rer. lib. ult. pridie Epiphaniæ cæsum anno 1476. scribit, cui videtur adstipulari Barlandus in vita Caroli Audacis, cujus hæc sunt verba: Annus ille quo Dux tam nobilis ante Nancium cæsus est, fuit hic salutis 1476. ita colligit Sabellicus. Alii duos adjiciunt, rursus alii quinque subtrahunt annos. Varietatem hanc demiror in re adhuc recenti; cum Sabellico vulgus consentit, consentiunt natu grandes, quorum memoria res accidit. Ipse etiam Oliverius de la marche, qui Duci adfuit hoc bello, necis Caroli septuagesimum sextum

*) De re Dipl. Cap. 23. n. 10.

**) pag. 238.

***) pag. 310.

ſextum annum præfert. Verum hanc diſcrepantiam ex diverſa ratione annum inchoandi oriri puto, cum quidam annum a januario, alij autem a Martio incipiant, atque ita fit, ut his januarius inter poſtremos menſes habeatur, qui illis ſit primus.

Quam autem ob cauſam Galli & eos inſecutæ Diœceſes Belgicæ & Germaniæ ſecundæ non a januario, ſed vel a Martio vel a paſcate annum olim incœperint, non conſentiunt auctores; Mabillonius id factum putat non tam ob calculum Aſtronomorum, qui a Verno æquinoctio annum incipiunt, quam ob reverentiam feſti paſchalis, quod primum ordine ac dignitate erat apud judæos, quibus menſis Niſan primus anni cenſebatur, ut Martius apud Gallos propter paſſionem ac Reſurrectionem Domini; uno verbo: propter Paſca. nam Galli, teſtante Beda, quacunque die VIII. Kal. Aprilis fuiſſet, quando Chriſti Reſurrectio fuiſſe tradebatur, paſca ſemper celebrabant. unde Martius primus apud illos menſis. Poſt receptum Nicæni Concilij decretum, cum paſcha mobile fuiſſet, mobile etiam anni exordium Galli habuerunt. Illud porro apud eos uſu receptum, ut in cereo paſchali annus novus inſcribere-

beretur. Cum enim cereus recte Humanitatis Christi similitudinem gerat, annus illi ab Incarnatione ejusdem Domini Christi consequenter inscribitur, inquit Rupertus Abbas Tuitiensis. Id fieri solebat in tabella, in qua præcentor inscribit, quotus sit annus Dominicæ Incarnationis, quota indictio, Concurrens & Epacta ut est apud Udalricum. *) Præterea apud Floriacenses Circulus Lunæ, terminus paschæ, littera Dominicalis, Dies Dominicus paschæ Luna ipsius diei & aureus numerus Pontificante N. Papa & quot anni sunt Pontificatus ejus, regnante Illustrissimo Rege Francorum & quot anni sunt regni ejus & a Nativitate ejusdem. **) Alij annos Episcopi Diœcesani, aliosque characterismos addebant. Lege eruditissimi Cangii Glossarium de Cereo paschali.

Hic autem probe notandum est, quod Galli, licet a paschate anni principium repetebant, januarii tamen Kalendas initium novi anni (NB. civilis) censebant. Unde Charta Drogonis de Vineæ Curte apud Cangium in glossario, ubi de anno data dicitur ab incarnatione MCCXXXIII. mense januario altera die anni ineuntis.

Diœ-

*) Consuetudinum Cluniacensium lib. 1. Cap. XIV.
**) Consuetudinum Floriacensium cap. 1.

Diœcesis Metensis Gallis proxima quoad stilum secuta videtur consuetudinem plane specialem, prout videre est e formulis quæ subsequuntur.

I. Ich Lamprecht . . . von Castil ein edelknecht dun kunt . . . das soliche güter und gülde als der edel herre Grafe johan grafe zu saarbrücken herre zu Commercey deme Got gnade verkaufft hatte zcu eime wieder kauff herrn Symonden seligen von Castil Ritter mime vatter zcu wissen das dorff Ostern by Wiebelskirchen . . . diss brieff wart geben da man Schreib in Metzer bistum nach Christus geburte CIII^{C} und LXXX jar uff den dinstag vor sancte Valentins dage. e libro cop.

1380. 13. Febr.

II. Eine pfandschafft auf einen Weyher zu Germingen welchen Henrich herr von Vinstingen ehehin verpfändet hatte — der geben wart uff sente Vincencien dag des heiligen Martelers des jares do man zalte nach Christus geburte in Metzer bistom Viertzehen hundert und viertzehen jare. ex Authentico.

1414. 22. Januarij.

III.

III. Graf johan von salm reversiret sich gegen die gebrüder von Heringen wegen eines pfandschaffts brieff — Der do geben war uff Donrestag vor sant Fabian und Sant sebastians tag dez jairs tusend vier hundert zwentzig und sehs jare nach gewonheit Metzer bistumb. ex authentico.

1426. 14. Januarij.

IV. Graf simon von salm assigniret seiner gemahlin ein Wittum. — Do man zalte nach Christi geburte dosent Vier hundert drissig und funff jar nach gewonheit Metzer bistum. ex authent.

1435.

V. Graf johan von salm gibt seinen beyfall zu dem von seinem bruder Simon errichtet werden wollenden Wittum — Geben off dienstag noch dem heiligen palm tage Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto juxta stilum Metensem ex authentico.

1454. 16. Aprilis. NB. post festum Annuntiationis.

VI.

VI. Ob besagte pfandtschafft eines weyhers betreffender brieff. der geben wardt uff der heiligen dry Kunige avent des jars do man zalte nach Christus gebürt Dusent vier hundert funffzig und sehss jore noch gewonheit Metzer bistoms. ex authent.

1456.

VII. Litteræ Simonis & johannis Comitum de salm — uff sondag nehst vor unser frouwen purification in den jaren unsers hern Dusent vier hondert funffzig und Syben noch gewonheit des bistums zu Metz. ex authent. &c. &c.

1457. 30. Januarij.

VIII. Boëmundi Ettendorffij litteræ de reluitione vicorum majoris & minoris steinhausen — Der gebent wart den XII. tag des jahres da man zahlt nacb Gots geburt im Metzer bistumb MCCCLXXXV. Schöpfflini Alsatia Diplom. part. II. num. MCCVIII. initium anni si vere detegatur, dies & mensis datarum litterarum facile adscribi poterit. vide interim Patrick Clef chronologique & Diplomatique.

1385.

IX.

IX. Inter ſuffraganeatus Ampliſſimæ Diœceſis Mog. reperimus unicum qui pro more ſuo ſubſcripſit apud de Gudenus Tom. *II.* pag. 1327. epiſtolam Rugraviorum Engelberti, Georgii &c. ad Henricum de Pirmont &c. Data eſt: Feria ſecunda poſt circumciſionem Domini Anno MCCCCLVIII. *more Wormacienſi.*


X. Juxta ſuperius de more Leodienſi annotata addi meretur ſubſcriptio quam ſuppeditat Cl Kremer in der Geſchichte Friderici I. Palatini. Urkunden p. 348. & 352. = Einung zwiſchen Kurfürſten Friedrich von der Pfaltz und Hertzog Carl von Burgund — Datum in opido Sancti Trudonis Leodienſis Diœceſis XXIX. die menſis Decembris Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto more Eccleſie Gallicane ſumpto. *) &c. &c.

Ex hiſce obſervationibus fit manifeſtum, quam ſedulo inſudandum Studio Chronologico & quam caute procedendum in diffiniendis datis Diplomatum, cum ſecundum varias

*) Conf. ab Hontheim hiſt. Trev. Dipl. Tom. I. pag. 259.

varias Diœceſes & Provincias varia etiam fuerint annorum initia, quæ e Chronologis annotavimus ſupra. Vale amice! & laboribus noſtris, ut perficiantur, ſuo die tuos abundantius adde.

Sequitur nunc



ELEN-

ELENCHVS CHARTARVM.

XXI.

LXV.

b 5 LXXIV.

LXXXIII.

XCII.

CII.

CXI.

CXXXI.

CXLI.

CLXIII.

CLXXXIV.

CCVIII.

CCXXI.

Sistimus hic Tomum Undecimum Diplomatici laboris nostri, quem Deo propitio hucusque continuavimus Tomum duodecimum pollicentes cum Indicibus Tomorum duodecim Topographicis, personarum & materiarum locupletissimis. Vale, Lector Amice! & Subsidia nostra, quae meditamur, nova pro viribus promove. Datum, Moguntiæ e Musæo nostro Idibus Januarij Anno MDCCLXXVII.

DOCV-

DOCVMENTA
ECCLESIAE CATHEDRALIS MINDENSIS
SECVLI XIII.

I.

COMPOSITIO SVPER IX. SOLIDIS OSNABVRG. ANNVE DANDIS OBEDIENTIARIO DE LANDEBERGE PER PLEBANVM IN THEFFHOLTHVSEN.

Wydekindus *) Dei gratia Mindensis Episcopus & auctoritate superioris Prepositus *Wernherus* Decanus *Ludolphus* de *Pedesen Cono* Archidyaconus *Lutbeke Henricus de Slon Wydigo Ludolphus* Cellerarius *Rycber-*

*) Widekindus Episcopus, et simul Ecclesiæ Mindensis Præpositus, qui in chronico Episcoporum Mindensium dicitur tricesimus secundus e Gente de Hoya ortus

Rycbertus Gherardus Cantor *Johannes* de *Bucca Otto* de *Oldenborch Conradus* de *Wardenberch Conradus* Decanus sancti *Martini Jordanus* de *Callendorpe Bruno* de *Spenthovia Albertus Sprick Reynardus* de *Slon Gherardus de Hervordia Arnoldus de Schynna Bartoldus de Vrekenborst Hermannus de Hoya* Canonici Mindenses omnibus hoc scriptum visuris salutem in Domino. Cum olim inter Dnūm *Ludolphum* post Cellerarium Ecclesie nostre & Obedientiarium *) bonorum *Landeberge* & Dnūm *Conradum* sacerdotem in *Theffholthusen* aliquamdiu questio moveretur super decimis dotis ecclesie prefate & domus in qua moratur *Waltherus Hollevir* & unius case decima ibidem site & censu domus *Ostentorpe* que omnia ad obedientiam dicti *L.* pertinere videbantur, prudentum virorum mediante Consilio compositio talis intercessit quod nos prefate ecclesie *Theffholthusen* prefatas decimas & censum domus prefate sepedicto *L.* consentiente sub annua reliquimus pensione novem solidorum Monasteriensium & Osnaburgensium denariorum in octava beati Martini dicto *L.* vel cuilibet sibi in obedientia

ortus est. Chronicon modo dictum caute legendum et errores ejusdem quam plurimi tam circa annos emortuales quam alia Episcoporum gesta e numerosa Diplomatum serie, quam suppeditamus, facili negotio sunt corrigendi. Chronicon, de quo loquimur, extat in *Pistorii Scriptoribus Rerum Germanicarum Tomo III.*

*) De obedientiis et Obedientiariis confer. ***Tomus Subsidiorum Diplom. praecedens.***

tia ſuccedenti annis ſingulis ſolvendorum, nulla Eccleſie noſtre vel ſepedicto *L.* vel ſibi ſuccedentibus in ſua obedientia deinceps reſervata poteſtate tale factum immutandi vel dictam penſionem augmentandi quamdiu preſcripta penſio ſingulis annis a ſacerdotibus officiantibus Eccleſiam prefatam fuerit perſoluta & hoc preſentibus litteris ſigillis noſtris ſignatis proteſtamur. Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo in vigilia Aſſumptionis ſancte Marie. (14. Aug.)

II.

SVPER VILLICATIONE IN MANDESLO.

W*ydekindus* Dei gratia Mindenſis Epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ad notitiam tam futurorum quam preſencium pervenire cupimus, quod nos de conſenſu & voluntate Capituli noſtri villicationem in *Mandeslo* cum cenſu & omnibus ſuis attinentiis Dño *Huberto* militi de *Mandeslo* & juſtis heredibus ſuis pro centum & viginti marcis Bremenſis argenti impignoravimus hoc modo ut in quolibet feſto principali duo moldera panis qui dicitur Spentbrot *) perſolvat. Item ſemel in anno

 qua-

*) Spent-brot a ſpenden, austheilen dicitur. Panis diebus fixis diſtribui ſolitus.

quadraginta modios qui dicuntur Spiker Schilling *) dabit ad prebendam officiatorum. **) Item quolibet anno in cena Domini nobis vel nostro pro tempore successori decem marcas Bremensis Argenti exsolvet ad mensam nostram Episcopalem. ***) Item quinque solidos levis monete ad prebendam pauperum pro lineo panno comparando. Item Dñus presens dicto *H.* usque ad festum Nativitatis *Marie* cedet sine pensione secundum contractum preterite venditionis ac in anno proximo sequenti ipsam villicationem redimere non possumus quia tunc primo inchoatur ista impignoratio sed decem marcas in cena Domini persolvet & alia omnia supradicta, duobus vero annis jam dictis elapsis dum voluerimus nos vel successores nostri ipsam redimere possumus villicationem. Item si ante festum Nati-

*) Spiker-Schilling. Speicher Schilling.

**) Præbenda dicta cibi ac potus diurna portio quæ monachis, canonicis aliisve quibusvis, uti hoc loco Officiatis et paulo infra Pauperibus pro egestate sublevanda datur atque præbetur. Præbendæ nomen demum mansit Canonicorum et aliorum clericorum beneficiis *Helgaudus in Roberto Rege:* Centum clericis pauperibus præbendam panis piscis et vini concedebat.

***) Mensa dictum quicquid ex bonis alicujus est, bona ipsa, denique quidquid ad mensam instruendam seu ad vitæ commoda necessarium est aut conducit. Eodem sensu Mensa Episcopalis in gestis *Innoc. III. PP. pag.* 103. *in Bulla Bonifacii VIII. PP. an.* 1295. *apud Anselmum Leod. c.* 71. *&c.*

Nativitatis beate virginis centum & viginti marcas datis ipſam villicationem redimerimus cenſus noſter integraliter velut conſuetum eſt nobis perſolvetur, ſi vero die Michaelis ipſam abſolvimus tunc tantum ſervicia diurnalia recipiemus, ſupradicta etiam pecunia in *Minda* ante monetam*) erit perſolvenda, terminus inſuper ſolutionis in vigilia nativitatis beate virginis fieri debet aut in die Michaelis. ut autem hec omnia rata permaneant & inconvulſa preſens ſcriptum ſigillo noſtro & Capituli fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt *Wernerus* Decanus *Cono* Scolaſticus *Ludolphus* Celerarius *Hinricus* de *Slon Gherardus* Cantor *Wedego Ludolphus* Archidyaconus in *Oſen*, *Bruno Johannes* de *Bucken Johannes* de *Callenthorpe Gherardus* de *Herevordia Conradus* de *Wardenberge* Magiſter *Arnoldus Hermannus* de *Hoya* Canonici *Bernhardus* Nobilis de *Lo Lippoldus* de *Mandeslo Hermannus* de *Buren Hinricus* de *Borclethe Fridericus de Stoggarden Gherardus de Hörnen Ludolfus de Nygenborch Echertus Vriedach Lothewicus* Marſcalcus milites *Florcke* Wichgravius *Ludolphus* & *Thidericus* de *Mandeslo Johannes* de *Ekeſen Gherlagus* Advocatus *Bruno* de *Hudderſtorpe Johannes* de *Scrimmenghuſen Conradus* de *Geyenhuſen* famuli & alii plures. Actum & Datum *Minde* Anno Dñi Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo in Craſtino *Remigij*.

(2. Octobr.)

 III.

*) Moneta hic ſumitur pro Officina ſeu loco ubi moneta cuditur.

III.

SVPER CERTIS MINISTERIALIBVS.

Widekindus Dei gratia Mindensis Episcopus universis Christi fidelibus presens scriptum visuris salutem in Domino. Ad notitiam tam futurorum quam presentium pervenire cupimus quod Dominus *Lippoldus* miles de *Mandeslo* ex consensu & voluntate *Ludolphi Thiderici* & ceterorum filiorum suorum qui villicationem *) in *Wechcam* post mortem *Reinboldi* a Dña *Albeyde* Abbatissa sancte *Marie* in feodo receperat suo nomine & *Ludgardis* filie dicti *Reynboldi*, cujus tutelam gerebat *Hillewardum* villicum de *Wechcam* qui a Dño *Lamberto* de *Menechen* per concambium temporibus *Reynboldi* ad jam dictam villicationem venit & uxorem suam *Helenburgim* quam prefatus *Lippoldus* miles a *Brunone* milite de *Holewede* pecunia cum pueris suis comparavit, nec non *Ludolphum Herewardum Johannem Thidericum Henricum Gherardum Ludolphum Hermannum Helembergim Albeydim Helemburgim Volsethe* filios & filias predictorum cum consensu

*) *Villicatio*, Prædium rusticum, cujus administratio Villico committebatur. Charta *Conradi II.* Imp. apud *Browerum lib.* 3. *Antiquit. Fuldens. cap.* 17. Cui primum in mandatis coedimus, ut omnes villicationes a Laicis reciperet et per præpositos suos viros honestos et religiosos officia dispensando disponeret. adde ibidem. *cap.* 18. chartam *Marcwardi* Abbatis Fuldensis. et aliam *Conradi* Imp. an. 1114. apud *Miræum lib.* 2. *Donat. Belgic. cap.* 4.

ſenſu noſtro per concambium libertavit, qui omnes ſic libertati *) & manumiſſi Eccleſie noſtre facti ſunt miniſteriales, **) unde predictis omnibus & heredibus ipſorum quos ex conſenſu miniſterialium Eccleſie noſtre publice recognoſcimus quod habent vel habere debent qui ab antiquo veri nati ſunt & ab eorum progenitoribus miniſteriales. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus roborari. Teſtes autem hujus rei ſunt *Gherardus de Offleten*, *Conradus Libbeke*, *Wiſcelus Lupus*, *Willebelmus Span*, *Rutbertus de Cbram*, *Ertwinus de Offleten*, *Peregrimus*, milites, *Hermannus* & *Gherardus de Haddenbuſen*, *Gherardus* Advocatus dictus *Vorebom*, *Ghiſeke*, *Eskerich*, *Wescelus*, *Thidericus Scowecken*, *Hinricus de Uffelen*, *Hermannus de Pole*, *Gherart de Arnekampe*, *Wyllebelmus de Opentorpe*, *Regenwart de Brocbem*, *Herewart de Wetbem* & alii plures. Datum & Actum in *Reynnenbergge* Anno Dñi Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, in capite jejunii. ***)
(26. Febr.)

 IV.

*) Libertati ſive libertate donati, qui antea erant ſervi aut glebæ adſcripti.

**) Miniſteriales hic pro quovis famulo domeſtico etiam aliis officiis applicando ſumitur. *Capitul. Caroli M. de Villis* §. 41. Et ſtabula atque coquinæ et piſtrina ſeu torcularia ſtudioſe præparata fiant; quatenus ibidem condigne Miniſterialis noſtri officia eorum bene nitide peragere poſſint.

***) Caput jejunii ſeu Quadrageſimæ, quarta feria Quinquageſimæ, Dies cinerum, qua jejunium quadrage-

IV.

SVPER CASTRVM ANTIQVVM BOCKLO.

Conradus Dei gratia Comes de *Rothe* omnibus hoc ſcriptum intuentibus ſalutem in Domino. Quoniam ea que acta ſunt ne memoriis hominum elabantur ſcripturis & privilegiis firmari ſolent, confitemur & proteſtamur nos cum Domino *W.* bone memorie quondam Mindenſi Epiſcopo concordaſſe ſub hac forma. C. Dei gratia comes de *Rothe.* Univerſis ſcripti hujus inſpectoribus notum eſſe volumus, quod cum Dnūs *W.* Mindenſis Epiſcopus caſtrum novum in loco qui dicitur *Karnewinkel*, conſtruere intenderet, ipſe ſibi ad conſtructionem ipſius caſtri auxilium noſtrum attendens fore opportunum nobis ad hoc ei cooperantibus ſpacium ad duas manſiones in ipſo caſtro conceſſit in feodo fide data & nobis firmiter repromittentibus quod a ſervicio Mindenſis Eccleſie nunquam recederemus, ſed in omni Werra *) Epiſcopi

pi

dragesimale inchoatur. Apud *Gregorium in lib. ſacrament.* Feria IV. Caput jejunii. ad collectam: Concede nobis Domine, præſidia militiae Chriſtianæ ſanctis inchoare jejuniis, ut contra ſpirituales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxiliis. *Concil. Meldenſe an.* 845. *cap.* 76. Poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur. *Amalarius lib.* 1. *de Eccleſ. Offic. cap.* 7. unde et quarta feria qua jejunium hoc inchoamus, caput jejunii appellari conſuevit &c.

*) Werra, guerra, bellum publicum vel privatum, gallis guerre.

pi & Ecclesie coadjutores semper & pro posse nostro defensores existeremus, ipse vero versa vice nobis promisit, quod contra omnes injuriosos invasores nostros nobis astaret hoc adjecto hinc inde, quod si forte castrum capi ab hostibus vel quocumque modo destrui contingeret, eodem pacto quo nunc constructum est, simul iterum reedificaremus. Adjectum est etiam fide data hinc inde, quod si nos Episcopum vel Ecclesiam de castro ejceremus omnis advocatia nostra quam tenemus ab ecclesia extra civitatem *Wnstorpe* vacet ipso jure & ad Ecclesiam revertatur libere & absolute. si vero Dominus Episcopus vel Ecclesia nos eiceret, villicatio curtis in *Runneberge* & curtis in *Hiddestorpe* Dominio nostro cedet ipso jure. Adjectum est etiam in obligatione predicta, quod in castro vel ante castrum violentiam aliquam vel spolium non faciemus, quod forte hujusmodi faceremus in districtu vel advocatia nostra non deducemus in castrum, nec ante penitus res distrahantur. Nos autem in eadem confederatione & mutuo auxilio invicem servando secundum litteram supra scriptam cum Domino *Johanne* Mindensi Episcopo concordavimus. Et ut hec inconvulsa permaneant, presens scriptum munimine fecimus roborari.

V.

SVPER CERTIS CVRIIS IN VYSBEKE.

W*edekindus* Dei gratia Mindenſis Epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino. Ad notitiam tam futurorum quam preſencium pervenire volumus, quod cum curie noſtre in *Vysbeke Johanni Weſtfalo* & genero ſuo *Arnoldo Thumen* militibus pro centum marcis ad certum terminum titulo pignoris obligate propter diverſa eccleſie noſtre gravamina a nobis redimi non poſſent & dictis militibus quia certo tempore non redimerentur ex conditione appoſita perpetuo deberent infeodari, habito conſilio dictas curias cum omnibus ſuis attinentiis Capitulo noſtro pro centum marcis vendidimus ſupradictis taliter ut dum nobis vel noſtris pro tempore ſucceſſoribus placeat quod pro prefatis centum marcis prenominatas curias libere poſſimus recuperare. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, ſexta decima Kalend. Maji. (16. Apr.)

VI.

VI.

DONATIO JOHANNIS DE BRVN-NICHVSEN.

Univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. *Johannes de Brunnichuſen* & *Hathewigis* ſoror ſua de *Ganderſem* nobiles. Quoniam Apoſtoli exhortatione commonemur bonum operari ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei noſtra . . . & omnium qui ſpiritu Dei reguntur, intereſt eccleſias & eccleſiaſticas perſonas que domeſtici fidei dicuntur, prediis & bonorum largitionibus dilatare. ut a Deo mercedem oportuno tempore recipiamus. Ea propter notum eſſe volumus tam preſentibus quam ſucceſſoribus future poſteritatis, quod nos pro remedio animarum noſtrarum bona noſtra *Brunnichuſen* cum ſuis attinentiis, miniſteriales noſtros ac vaſallos cum mancipiis ac litonibus *) noſtris univerſis, nec non omnia bona noſtra propria libera & infeodata & omnem proprietatem quam in ſilvis, agris, pratis, paſcuis, aquis & aquarum decurſibus, a flumine *Bordenov* & *Minda* verſus partem orientem retinens juſta ac legitima donatione ex certa ſcientia Eccleſie Mindenſi poſſidendam in perpetuum donavimus cum premiſſis. Item dominium quod *Holtgravescop* dicitur de

*) Litones vocantur quoque in Chartis Liti, lidi, ledi, Aſcriptitii, ſervi glebæ. Gloſſæ interlineares Legis ſalicae: Litus fiſcalinus vel ſanctuarius id eſt, qui in publicis, privatis aut Eccleſiarum fiſcis ſeu prædiis degit.

de ſeptem parrochiis inter *Hamelen* & *Munden* conſtitutis cum *Hermanno Vincken* in *Baſſem* commorante ecclefie donavimus ſupradicte. Unde ne Ego *Johannes* ex iſta ſalubri donatione intemporalibus deficiam cum ſoror mea *Hatbewigis* ſupradicta canonica ſit in Ganderſem & honeſtam ac debitam habeat procurationem a venerabili Patre ac Domino *Wilbelmo* Epiſcopo Mindenſi decem marcarum reditus ex conſenſu Capituli Mindenſis, ſex de curia *Aletben* & quatuor de *Mandeslo* quamdiu vixero michi ſunt rationabiliter aſſignati. Que pecunia ſingulis annis & certis temporibus michi dabitur, quibus conſuetam fuerat Domino Epiſcopo dictam pecuniam preſentari, quam penſionem etiam per integrum annum poſtquam de medio ſublatus fuero retinebo. ut autem omnia predicta rata permaneant & inconvulſa, preſens ſcriptum feci ſigilli mei munimine roborari. Teſtes hujus rei ſunt *Ludolfus Comes de Wnſtorpe. Conradus de Hamelſpringe. Bernbardus de Lo. Henricus de Hodeberege.* Nobiles. *Henricus Advocatus de Saſſenbagen. Hartbertus de Mandeslo. Conradus de Eckere. Hartmannus Luscus. Reineke* frater ſuus. *Wilbrandus Holle. Tbedeke de Steden.* milites. *Johannes* Advocatus. *Arnoldus* Judex. *Ludolfus de Hiddeſſen. Geroldus de Landesberege. Johannes* & *Bertoldus* fratres *Pinken. Henricus Cnigko. Johannes de Mandeslo. Tbidericus Scouben. Hermannus de Polo. Olricus Tbodinc. Conradus Hornecauel. Lolman de molendino.* Famuli & alii plures. Datum & Actum

Wnſtorpe

Wnftorpe Anno Domini M°CC°LX°. In die *Marci* Ewangelifte. (25. April.)

VII.

CONCORDIA INTER EPISCOPVM W. ET CIVITATEM MINDENSEM.

In nomine fancte & Individue Trinitatis. Notum fit omnibus *Ortodoxis* quod cum inter Venerabilem Dominum *Widekindum* Mindenfem Epifcopum ex una parte & heredes ac fratres *Friderici* de *Haslem* ex altera fuper hereditate ipfius *Friderici* & ftatu condicionis eorumdem & fuper quibusdam articulis contra civitatem Mindenfem gravis altercatio verteretur, mediantibus quibusdam canonicis, minifterialibus ac burgenfibus Mindenfibus talis amicabilis & finalis compofitio intervenit, dicti fratres *Wernherus Meynricus* & *Ludolfus* quia contra Dominum Epifcopum clamando, pulfando & ipfum in civitate includendo tumultum & feditionem excitaverant, tam ipfi quam univerfitas civitatis datis feptingentis quinquaginta marcis argenti & exhibita fatisfactione competenti, videlicet ut univerfitas nudis pedibus, auctores vero cum virgis in camifijs fuis eidem Epifcopo extra muros civitatis occurrentes & pedibus fuis advoluti veniam humiliter querentes, taliter ipfum usque in curiam fuam profequentes in gratiam ipfius redierunt. Adjectum etiam exftitit ut in perpetuam facti memoriam Dominus Epifcopus cur-

tem

tem *Hillewardinchen* cum ſuis attinentijs haberet nec aliquis ipſum de civitate Mindenſi ſuper hoc aliquatenus moleſtaret, pro qua centum marcas ſibi exhibitas refutavit. quod ſi dicti heredes ratum habere nollent, Dominus Epiſcopus compoſitionem factam eis ſervare minime teneretur, ſalva in omnibus ordinatione ſeu compoſitione preſenti inter Epiſcopum & Burgenſes. Pro hiis autem Dñus Epiſcopus heredibus dicti *F.* ſicut per commutationem ab Osnaburgenſi Eccleſia in jus miniſterialium Mindenſis Eccleſie tranſierunt omnium aliorum bonorum hereditatem & jus miniſterialium recognovit. Dictis etiam fratribus *Wernhero*, *Meynrico* & *Ludolfo* & eorum pueris plenum jus miniſterialium aſſignavit. Quicquid etiam Dominus Epiſcopus contra univerſitatem ſuper hijs vel quibuslibet alijs discordie vel rancoris habuit per hanc compoſitionem totaliter eſt ſopitum. Inſuper idem Epiſcopus civitatem & burgenſes in omni jure conſervabit, quod ab anteceſſoribus ſuis Conrado. *Wilhelmo* & *Johanne* Epiſcopis noſcuntur hactenus habuiſſe. Burgenſes etiam Dominum Epiſcopum & Eccleſiam ſuam omni jure & libertate gaudere permittent, que ſibi de jure communi vel antiqua conſuetudine vel etiam ſpecialibus privilegijs competere dinoſcuntur. Hanc etiam compoſitionem Dominus Epiſcopus pro ſe & omnibus ſuis amicis ac familiaribus, civitas etiam pro ſe & ſuis fauctoribus omnibus approbarunt, quod ſi aliquis ex altera parte compoſitionem infringere vellet Epiſcopus civitati & civitas Epiſcopo invicem

cem sibi assistent pro viribus quantum possunt. Hujus ordinationis & compositionis mediatores erant honorabiles viri, *Cono* Scolasticus. *Ludolfus* Cellerarius, *Widego Ludolfus*, Decanus Hamelensis majoris Ecclesie Canonici. Nobilis vir Dominus *Bernhardus de Lo. Lippoldus de Mandeslo. Florencius* Wigravius. *Henricus de Dungerden.* Ministeriales. Burgenses vero *Henricus de Holzhusen. Godescalcus de bordere. Wichmannus de Reme. Bertoldus Gloge.* Vt autem hec inposterum rata permaneant, presens pagina Domini Episcopi & capituli & civitatis Mindensis sigillis munita est in robur perpetue firmitatis. Quia *Wernherus* Decanus & Capitulum in hanc formam compositionis concorditer & voluntarie consenserunt. Acta sunt hec Anno Domini M°. CC°. LX°. *in novo Castro* & in vigilia *Symonis & jude* à Capitulo ministerialibus Burgensibus approbata. (27. Octobr.)

VIII.

SVPER VILLA BORDERE CVM ATTINENTIIS.

Henricus Dei gratia Comes de *Hoya* omnibus in perpetuum. Presenti scripto constare cupimus universis, quod nos & heredes nostri omni juri & actioni, si qua nobis competere videbantur in villa *Bordere* & omnibus attinentijs ejus videlicet

cet Comitia, *) agris, ſilvis, pratis, aquis, paſcuis, vjis & invijs & omnibus alijs plane renunciantes, ea Domino Mindenſi Epiſcopo & Eccleſie ſue libere recognovimus, prout ipſis ab illuſtri Principe Duce ſaxonie ſunt collata. tenore preſentium proteſtantes quod nec nos nec heredes noſtri aliquid juris in premiſſis nobis poterimus vendicare. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt *Bernbardus* & *Thidericus* fratres nobiles de *Lo*, *Thidericus* & *Rodolfus* fratres *Cleincoke*. *Henricus Schlichtinc*. *Albertus Hoppe*. *Henricus de buin* dapifer. *Arnoldus Corlebake*. *Henricus de Wettere*. *Gerhardus de Heveren*. *Lippoldus de Mandeslo Hermannus de Buren*. *Gerhardus de Hornbem*. *Fretbericus de Steigerden*. *Ludolfus de Nienburg*. *Erbertus Friudach*. milites & alii plures. Datum *Steigerberege* Anno Domini M°CC°LX. in die *Nicolai*.

6. Dec.

IX.

SVPER COMITIA STEMWEDE.

Johannes & *Gerhardus* Dei gratia Comites *Holtſacie*, *Stormarie* & de *Scowenburg*, omnibus ad quos preſens ſcriptum pervenerit ſalutem in auctore ſalutis. Notum eſſe Cupimus univerſis quod nos

*) Comitia, Cometia, comitatus ſeu comitatus diſtrictus, vel etiam dominium ut hic ſignificat.

nos diverſis cauſis tam utilibus quam neceſſarijs inſpectis de conſenſu & voluntate heredum noſtrorum Cometiam noſtram in *Stemwede* Domino Mindenſi Epiſcopo & Eccleſie ſue perpetuo venditionis titulo aſſignavimus cum omni jure & attinentijs ſuis que nobis vel heredibus noſtris competebant vel competere poterant in premiſſis. Et ne huic voluntario & legitimo contractui aliqua inpoſterum cavilloſa vel litigioſa queſtio valeat ſuboriri, preſens ſcriptum inde confectum ſigillorum noſtrorum appenſione communiri fecimus ad robur perpetue firmitatis. Teſtes hujus rei ſunt *Wernherus* Decanus. *Cono* Scolaſticus. *Gerhardus* Cantor. *Ludolfus* cellerarius. *Henricus de Slon. Johannes de Bucca. Conradus de Wardenberge. Arnoldus de Schinna. Conradus Sancti Martini* & *Ludolfus* Hamelenſis Eccleſie Decani & alij plures Mindenſis Eccleſie Canonici. Nobiles viri *Bernhardus de Lo. Wilhelmus de Holte.* milites. *Florentius* Wigravius. *Lippoldus de Mandeslo. Henricus* de *Dungherden. Gerhardus* Dapifer Mindenſis. *Lodwicus poſt* dapifer in *Scowenburg. Henricus* de *Welſethe. Henricus* de *Rodthorpe. Godefridus Loginc. Henricus Buſsce.* & alij quam plures tam clerici quam laici fide digni. Acta ſunt hec Anno Domini M°CC°LXI°. Indictione prima.

X.

SVPER EADEM COMETIA STEMWEDE.

Johannes & *Gerhardus* Dei gratia Comites de *Scowenburg* omnibus presens scriptum visuris in Domino salutem. Notum esse cupimus universis quod omnis rancor & dissensio que inter Venerabilem Dominum *Wedekindum* Episcopum Mindensem & Ecclesiam suam ex una parte & nos & homines nostros ex altera super diversis articulis vertebatur in finali tractatu venditionis Cometie nostre in *Stemwede* totaliter est sopita, salva in omnibus compositione inter Dominum Episcopum *Johannem* prefati Domini Episcopi antecessorem & nos quondam ordinata quam inter ecclesiam Mindensem & nos sicut tunc ordinata & conscripta exstitit, subsistere volumus in plena amicicia perpetuo robore duraturam. Testes hujus rei sunt *Wernerus* Decanus. *Cono* Scolasticus. *Gerhardus* Cantor. *Ludolfus* Cellerarius. *Henricus de Slon*, *Johannes de Bucca*. *Conradus de Wardenberge*. *Arnoldus de Schinna*. *Conradus* sancti *Martini* & *Ludolfus* Hamelensis Ecclesie Decani & alij plures Mindensis Ecclesie Canonici. Nobiles viri. *Berhardus de Lo*. *Wilhelmus de Holte*. Milites. *Florencius* Wigravius. *Lippoldus de Mandeslo*. *Henricus de Dungherden*. *Gerhardus* Dapifer Mindensis. *Lodwicus post* Dapifer in *Scowenburg*. *Henricus de Welsethe*. *Henricus de Rodthorpe*. *Godefridus de Loginc*. *Henricus Busce*, & alij plures tam clerici quam laici

fide

fide digni. Acta ſunt hec Anno Domini M° CC° LXI° Indictione prima.

XI.

SVPER EADEM.

Gerhardus Dei gratia Comes *Holtſacie*, *Stormarie* & de *Scowenburg* omnibus ad quos preſens ſcriptum pervenerit ſalutem in eo, qui eſt ſalus omnium. Notum eſſe cupimus univerſis quod nos diverſis cauſis tam utilibus quam neceſſarijs inſpectis de conſenſu & voluntate heredum noſtrorum cometiam noſtram in *Stemwede* Domino Mindenſi Epiſcopo & Eccleſie ſue perpetuo venditionis titulo aſſignavimus cum omni jure & attinentijs que nobis vel heredibus noſtris competebant vel competere poterant in premiſſis. Et ne huic voluntario & legitimo contractui aliqua inpoſterum cavilloſa queſtio vel litigioſa valeat ſuboriri, preſens inde confectum ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Teſtes hujus ſunt. *Lodwicus poſt* dapifer. *Henricus de Welſethe. Henricus de Rodthorpe. Godefridus Loygingus. Conradus de Redern. Henricus Buſsce. Conradus de Stochem.* milites & alij quam plures tam laici quam clerici. Acta ſunt hec anno Domini M°CC°LXI°.

XII.

SVPER CVRIA COQVINE EPISCOPI.

O. *) Dei gratia Mindensis Ecclesie Electus & Confirmatus *Ot.* Prepositus G. Decanus totumque ejusdem Ecclesie Capitulum omnibus presentem litteram inspecturis salutem in Domino. Noverint universi quod nos curiam coquine nostre & lardarij **) ad aream dedimus claustralem omnium Dominorum nostrorum consensu super hoc accedente & in restaurum inferiorem curiam Domini Cellerarij ad usus resumpsimus Episcopales, & ne imposterum talis commutatio ab aliquo valeat revocari, presens scriptum inde conscriptum sigilli nostri munimine & Capituli nostri fecimus roborari. Datum *Minde* Anno Domini Millesimo Ducentesimo sexagesimo primo, In vigilia *Mathie* Apostoli. (23. Feb.)

XIII.

*) Otto.

**) Lardarium, locus ubi lardum servatur et retinetur atque adeo carnes coeteræ. *Chronicon S. Trudonis lib.* 10. *pag.* 465. quod si in lardario Abbatis aut in curti invenirentur (carnes) . . quod ipsis infirmis convenire videretur. *Monasticum Anglic. Tom.* 2. *pag.* 935. concedimus . . 20 porcos ad sumptus communes domus, pro eorum lardario faciendo.

XIII.

SVPER COMITIA IN STEMWEDE.

G. Dei gratia Comes de Schouwenborgh omnibus presens scriptum visuris in Domino salutem, notum esse cupimus universis quod omnis rancor & dissensio que inter venerabilem Dominum Episcopum *Wedekindum* Mindensem & Ecclesiam suam ex una parte & nos & fratrem nostrum & homines nostros ex altera super diversis articulis vertebatur in finali tractatu venditionis Cometie nostre in *Stemwede* totaliter est sopita, salva in omnibus compositione inter Dnum Episcopum *Johannem* prefati Dni Epi antecessorem & nos quondam ordinata, quam inter Ecclesiam Mindensem & nos sicut tunc ordinata & conscripta extitit subsistere volumus in plena amicitia perpetuo robore duraturam. Testes hujus sunt *Willkinus de Holte* nobilis *Heinricus de Welsede*, *Heinricus de Rottorpe* *Henricus Busge Conradus de Redern Arnoldus Dume* *Lodewicus Posch* milites & alij quam plures. A[illegible] sunt hec Anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo primo.

XIV.

SVPER DECIMA IN LETHELEN.

Universis hanc paginam inspecturis *Cono* Dei gratia Mindensis Ecclesie Electus & confir-

 matus

matus salutem in Domino sempiternam. Cupientes dilectorum in Christo Decani & Capituli nostri piam sollicitudinem & benivolentiam affectu quo possumus prosequi & favore eo quod bona ecclesie nostre alienata seu distracta ad jus Ecclesie ejusdem revocare nituntur tenore presentium protestamur & recognoscimus quod nos predictis Decano & Capitulo nostro proprietatem ville & decime in *Lethelen* cum omnibus attinentijs suis contulimus & donavimus perpetuis eorum usibus perventura prout ijdem Decanus & Capitulum predicta nobilibus viris *Johanni* & *Gherardo* Comitibus de *Schouwenborgh* nobis libere resignata emptionis titulo comparaverunt, hoc tamen salvo quod si dicti Comites eadem bona sicut in contractu emptionis cautum est vel eorum heredes processu temporis reemere voluerint liberum sit nobis vel successoribus nostris ipsos eisdem bonis denuo infeodare sicut in instrumento super eadem venditione confecto evidentius est expressum, & ne super hijs aliquis imposterum dubietatis scrupulus oriatur presens scriptum inde confectum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes sunt *Gherardus* Decanus *Ludolphus de Pedese Hinricus de Slon, Ludolphus Posch* Cellerarius *Widigo Conradus de Wardenbergh Jordanus de Callendorp* Canonici milites vero *Hiricus de Dungherden Florentius Wigravius Gherardus & Conradus de Lutteren* fratres & alij multi viri providi & honesti. Datum & Actum *Minde* Anno Dñi Millesimo Ducentesimo sexagesimo secundo Decimo Kalendas Februarij. (23. Jan.)

XV.

XV.

SVPER BONIS IN ELFLEDE.

Omnibus presentes litteras inspecturis Otto Dei gratia Prepositus Ecclesie Mindensis salutem in Domino Jhesu Christo. Ea que aguntur in tempore ne simul labantur cum tempore scripturarum solent apicibus eternari. Hinc est quod notum esse cupimus universis quod cum nos post mortem bone memorie Dñi *Widekindi* Mindensis Episcopi ad vacantem Preposituram Ecclesie Mindensis fuissemus admissi secundum consuetudinem ipsius Ecclesie de bonis ejusdem Prepositure non alienandis corporale prestitimus juramentum, bona etiam in *Elflede* olim de consensu & auctoritate dicti Episcopi tunc Preposituram tenentis ex gratia sedis Apostolice speciali, quorum proprietas ad Preposituram pertinebat eandem, de manu laicali emptionis titulo comparata in jus & dominium Capituli nostri translata de consensu Venerabilis Patris & Domini nostri *Cononis* Episcopi dimisimus ipsi Capitulo libera & quieta, ita quod nobis & successoribus nostris nichil juris omnino reservavimus in eisdem ratum & gratum habentes, quod super hoc factum fuerat ab Episcopo supradicto. Ne igitur super premissis aliqua scrupulose dubitationis materia possit imposterum suboriri, presens scriptum inde confectum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum et Actum *Minde* Anno Domini Millesimo Ducentesimo sexagesimo secundo, sexto nonas Marcij. (2. Mart.)

XVI.

DE ADVOCATIA VILLICATIONIS DVDENHVSEN.

Ego *Ludolphus* nobilis de *Arnhem* tenore presentium recognosco & protestor quod facto contractu vendicionis advocatie villicationis in *Dudenhosen* honorabilibus viris Preposito Decano & Capitulo Mindensis Ecclesie cum advocatia ipsam venerabili Domino *Cononi* Mindensi Electo sicut ab ipso tenueram una cum filio meo *Conrado* libere resignassem fide data promisi in manus dictorum Prepositi Decani & Capituli me una cum uxore mea & heredibus meis predictam venditionem & resignationem ejusdem advocatie cum omnibus attinentijs suis tam super bonis quam super mancipijs dicte villicationis ratam perpetuo habiturum, promisi etiam sub eadem fide Domino *Lothewico de Endeligeborstele* fidejussore adhibito ante proximum pascha ejusdem anni uxorem meam cum altero filio meo Ludolpho predicte venditioni voluntarie ac personaliter consensuram & ab omni jure quod sibi competere poterat manualiter recessuram, alioquin Mindam vel aliud opidum, quod michi ipsi securum decreverit, intrabo, milite uno michi adjuncto, nec inde recedam, nisi premissis omnibus persolutis, me vero que premissa sunt negligente prefatus *Lothewicus* miles oppidum quod sibi deputaverint intrabit non recessurus donec neglecta suppleat vel pecuniam Dominis restituat

ſtituat quam dederunt, *) ut autem hec a memoria non recedant ſigillum meum preſentibus litteris appoſui in teſtimonium veritatis. Teſtes hujus rei ſunt nobilis vir *Otto* major Prepoſitus *Gherardus* Decanus *Ludolfus de Pedeſen Heinricus de Slon* Cuſtos *Ludolfus* Cantor *Widego* & alij quam plures Canonici Mindenſis Ecclesie *Ludowicus de Endeliggeborſtele Conradus de Uffien Richardus vulpes Heinricus de Dunggerden Gherardus de Offleten* milites & alij quam plures viri providi & honeſti. Acta ſunt hec Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio in die *Gordiani & Epimachi* martirum. (10. Maji.)

XVII.

SVPER EADEM.

Ludolfus Dei gratia nobilis *de Arnhem* dilectis fidelibus ſuis Segehardo de Dudenhoſen & heredibus ſuis ſalutem & dilectionis affectum. Quia advocatiam villicationis in *Dudenhoſen* quam a

B 5 nobis

*) Cautio hæc pluries occurrit vid. Ludewig Tom. 1. pag. 203. Tom. 5. pag. 98. ibid. pag. 586. adde aliam de an. 1187. apud Sponium Tom. 2. Hiſt. Genev. pag. 48. Item Libertates Moirenci a Berlione ejusdem loci Domino conceſſas an. 1164. Tom. 2. Hiſt. Dalphin. pag. 17. Fidejuſſores conſtituo, juramento Burgenſibus ſe obligantes, ut hæc in integrum faciant obſervari, et ſi contra hæc aliquid præſumtum fuerit, ſe obſtagium intraturos et donec Burgenſibus ſatisfactum fuerit, non egreſſuros.

nobis jure feodali tenuiſtis nos & heredes noſtri Domino Mindenſi Electo reſignavimus abſolute tenore preſentium vos ad eundem Dominum Electum cum eodem feodo transmittimus ſine prejudicio juris noſtri vos ab omni debito ſeu juramento fidelitatis & homaij quo nobis pro eodem feodo tenebamini abſolventes. Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio in die *Servacii* Confeſſoris. (13. Maji.)

XVIII.

SVPER EADEM VILLICATIONE IN DVDENHVSEN.

Univerſis quibus hoc ſcriptum fuerit exhibitum *Cono* Dei gratia Mindenſis Eccleſie Electus ſalutem in Domino ſempiternam. Tenore preſentium conſtare cupimus univerſis quod cum inter honeſtos viros Prepoſitum Decanum & Capitulum noſtre majoris Eccleſie ex una parte & nobilem virum *Ludolfum de Arnhem* ex altera eſſet finaliter actum ut idem Nobilis advocatiam villicationis in Dudenhoſen quam de manu noſtra jure tenuit feudali nobis cum heredibus ſuis libere reſignaret, nos ejusdem nobilis uxoris ſue & heredum ſuorum libera reſignatione recepta advocatiam ipſam dicte villicationis & omnium attinentium beatis *Petro & Gorgonio* nec non predictis Decano & Capitulo Mindenſi liberaliter contulimus eorum perpetuis

uſibus

usibus profuturam eo quod dicta villicatio cum omnibus attinentijs suis ad eorum prebendam pertineat pleno jure, ne autem huic libere ac liberali collationi seu donationi nostre aliqua imposterum scrupulosa questio valeat suboriri, presens scriptum super ea confectum nostro ac dicti Capituli sigillis communiri fecimus in robur perpetue firmitatis. Testes vero sunt *Otto* Major Prepositus G. Decanus *Wydego* Arnoldus Canonici *Ludolphus* Cellerarius Verdensis *Theodericus Bernhardus* fratres nobiles dicti *de Lo Lippoldus de Mandeslo Hermannus de Buren Vrederich de Steygerde Ludolphus de Nygenborch Gerhardus de Hornhem Echertus Vrindag* milites & Castellani & alij quam plures. Acta sunt hec in novo Castro Anno Domini Millesimo Ducentesimo sexagesimo tertio in die beati *Urbani* Confessoris. (25. Maji.)

XIX.

SVPER LIBERTATE HABITANCIVM IN STEMWEDE.

C*ono* dei gratia Mindensis Electus & Confirmatus Universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris hanc litteram inspecturis in vero salutari salutem. Ut rerum gestarum noticia plenior apud posteros habeatur, necesse est imbecillitati humane memorie scripturarum beneficio subveniri. Notum igitur esse cupimus universis quod cum fel. rec. *Wedekindus* Episcopus noster antecessor

ceſſor ab illuſtri principe pie memorie *Alberto* Duce Saxonie Cometiam & proprietatem terre *Stemwede* cum liberis inhabitantibus & bonis ipſorum obtinuiſſet, ad manus Mindenſis Eccleſie bone memorie Regis *Wilhelmi* gratie reſignari idemque Rex ex regali munificentia premiſſa omnia Mindenſi Eccleſie perpetua devotione contuliſſet dictusque anteceſſor noſter poſtmodum a nobilibus viris *Johanne* & *Gherardo* Comitibus de *Schouwenborch* premiſſa pro ut a prefato Duce in feodo tenuerant emptionis titulo pro octingentis marcis comparaſſet, nos advertentes ea que pietatis intuitu facta noſcuntur ad impietatis noxam tendere non debere, cum ijdem liberi contra privilegium libertatis ſue diverſis exactionibus & talbijs ſepius indebite gravarentur, de communi Capituli noſtri & Miniſterialium Conſilio & aſſenſu ipſis etiam liberis inſtantibus & devote petentibus tali eis remedio duximus conſulendum, ut videlicet abſolvenda debita eccleſie noſtre a memorato anteceſſore noſtro contracta, datis nobis quingentis quinquaginta marcis & preſtito nobis & Eccleſie noſtre ſecundum morem miniſterialium juramento idem liberi cum bonis ſuis & heredibus pleno & perfecto jure miniſterialium perpetuo cenſeantur ita ut nichil amplius ab eis exigatur quam ab antiquis miniſterialibus Eccleſie Mindenſis exigi hactenus eſt conſuetum. ſi vero cenſum regalem *) quem ab antiquo

*) Cenſus Regalis, Regius *Capitul.* 2. *Ann.* 805. *c.* 20. et *Capitul.* 4. *ej. anni Cap.* 14. Cenſus regalis

quo dare consueverant ab eis quibus infeodatus est redimere voluerint vel si deficientibus heredibus Ecclesie vacare ceperit, ipsi sibi prefato jure ministerialium cum alijs bonis suis libere retinebunt nec aliquo proinde nobis vel Ecclesie nostre speciali debito tenebuntur, de bonis autem suis que ut premissum est, in jus & proprietatem ecclesie nostre jure ministerialium bonorum transierint extra Mindensem Ecclesiam vel comministeriales suos vendendi vel obligandi seu quolibet alio modo alienandi nullam prorsus habere poterunt facultatem, si vero aliquis ipsorum de bonis suis supradictis contrarium presumpserit attemptare, ipso facto cadet a bonis, & eadem bona nostre vel successorum nostrorum voluntatis arbitrio relinquuntur, & ne super hijs alicui litigiose vel calumpniose questionis scrupulus oriatur presens scriptum super premissis confectum nostri & dicti Capituli nostri Collegij Sancti *Mauricij in Insula* sancti *Martini* sancti *Johannis* Capitulorum Conventus sancte *Marie* & Consulum Mindensis civitatis sigillis communiri fecimus in robur perpetue firmitatis. Testes hujus rei sunt *Otto* Prepositus Major *Gherardus* Decanus *Ludolphus* Scolasticus *Conradus* Prepositus Sancti *Martini Conradus* Prepositus sancti *Johannis* & Archidiaconus in *Pattenhusen Ludolphus* Cantor & Archydiaconus in *Apolderen Ludolphus* Archydiaconus in *Osen Hinricus* Custos *Wydego*

Johan-

lis undecunque legitime exiebat, volumus ut inde solvatur, sive de propria persona hominis sive de rebus.

Johannes de *Bucken* Archidyaconus in *Lo* *Albertus* *Sprick* *Gerhardus* *de Hervordia* *Regnardus de Slon* *Arnoldus* Archidyaconus in *Alethen* *Gherardus* de *Bastorpe* *Johannes de Schouwenborgh* *Otto de Welpa* *Gherardus de Dylingen*, *Arnoldus Knycche* Majoris Ecclesie Canonici. Nobilis vir *Bernardus de Lo* *Florentius* Wygravius *Conradus* & *Thidericus* filius suus de *Ufflen* *Richardus Vulpes* *Henricus* & *Florentius de Dungherden* fratres *Thidericus de Horscholte* *Rotbertus* & *Gherardus* fratres *Deswege* *Henricus de Hornebórch* *Helmbertus* Camerarius *Bruno* & *Meinfridus de Spenthove*, *Johannes de Berchusen*, *Hermannus de Haddenhusen*, *Everhardus de Lynne* *Erdewinus de Offlethe* milites *Lambertus Knicke* *Ghiselbertus* *Harthertus* filius suus & *Gherardus de Swege* *Gerlacus de Grapelnigh* *Ludolphus de Echolte* *Henricus de Rothe* *Helmbertus* Camerarius *Johannes Scoben* *Hermannus de Rothe* famuli *Wetzelius de Robbere* *Godescalcus de Borthere* *Henricus Sprunck* *Henricus de Nienborch* *Johannes de Wymere* *Rudolphus Rothardus* *Stephanus* *Henricus de Lethelen* *Wernerus Menke* *Ludolphus de Hasle fratres* *Albertus de Reme* *Hildebrandus* *Conradus de Ryno* *Gherardus Vitulus* *Johannes de lapidea domo* *Gotswinus Burgenses* *Dethardus Drincgreve* *Bruno Clericus* *Thidericus Remboldus* & *Thedeke de Quernhem* *Rodolphus* & *Andreas de Brothem* *Ludolphus* *Hildeboldus* *Maynardus fratres de Holdum* *Henricus* *Siffridus* *Godescalcus de Thron* *Remwardus* *Rodolphus de Opendorpe*, *Hermannus* *Johannes* & *Hogerus de Stemmeshorn* *Cives de Stemwede* & *alij* quam plures. Actum & Datum

Minde

Minde Anno Dñi Millefimo Ducentefimo fexagefimo tertio quarto decimo Kalendas julij. Et Ego *Elbertus* Prepofitus in *Burlage* ad inftantiam honeftorum virorum Minifterialium in *Stemwede* figillo proprio prefentem copiam collectam de privilegio predictorum virorum & confcriptam de verbo ad verbum feci figillari in evidentiam ampliorem.

(18. Jun.)

XX.

SVPER CASTRO SASSENHAGEN.

Iohannes Dei gratia Dux *Saxonie Angarie* & *Weftfalie* & *Albertus* frater ejus univerfis prefens fcriptum vifuris falutem in Domino jhefu Chrifto. Noverint univerfi prefentium auditores, quod nos omnem compofitionis formam inter Dominum *W.* quondam Epifcopum Mindenfem pie memorie ac dilectum patrem noftrum felicis recordationis difcretis viris & honeftis mediantibus factam fuper difcordia que quondam inter Ecclefiam Mindenfem & dictum Patrem noftrum ex edificatione Caftri *Saffenhagen* vertebatur perpetuo firmam atque ratam habere volumus prout in privilegiis ex inde confcriptis lucide continetur. In cujus rei teftimonium prefentem cedulam teftimonialem figilli noftri juffimus munimine roborari. Datum *Louenburg* Anno Domini M° CC° LXIII°. Kalendis Augufti. (1. Aug.)

XXI.

XXI.

LICENTIA VT IN LOCO GHELDESSENINSTAVRETVR MONASTERIVM VIRGINVM.

Cono Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus Vniversis Christi fidelibus quibus hec littere fuerint exhibite salutem in Domino jhesu Christo. Cupientes omni devocione Dominice servitutis cultum nostris temporibus ampliari ut dilatato sui tentorij loco funiculos suos faciat longiores auctoritate presentium concedimus & permittimus Dño *Maynrico* sacerdoti quondam Preposito in *Ulnhusen* in loco quodam nostre Diocesis *Geldessen* nominato infra terminos parochie *Osen* sito cujusdam novelle plantacionis jacere fundamenta que si divina favente gratia in tantum succreverit, ut collegium Virginum Deo famulantium ibi valeat collocari, volumus ut de nostra permissione & licentia de prefato loco *Ulnhusen* seu etiam de alijs locis religiosis aliquas assumat Deo devotas virgines, per quas idem Collegium ad Divini nominis cultum devotius instauretur, nos autem locum ipsum tanquam Divino cultui deputatum sub beati *Petri* ac nostra protectione recipientes sub districtione Divini judicij firmiter inhibemus, ne quis locum ipsum vel habitantes in ipso presumat aliquatenus molestare. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei beatorum *Petri* & *Gorgonii* ac nostram se noverit incursurum. Datum

tum *Minde* Anno Domini Millefimo ducentefimo fexagefimo quarto fexta decima Kalendas Maji. (16. Apr.)

XXII.

SVPER IIII. SOLIDIS ANNVATIM CAPITVLO DANDIS DE OFFICIO RVNNEBERGE.

H*eynricus* Thefaurarius majoris Ecclefie Mindenfis omnibus hoc fcriptum vifuris in perpetuum. Noveritis quod nos a *Johanne* dicto de *Wochufen* accepta refignatione cujusdam manfi ad luminaria ecclefie noftre pertinentis qui fitus eft in *Angaria* prope *Rynthelen* eumdem manfum porreximus *Bertrammo de Hagen* & *Mechtildi* uxori ejus & fuis heredibus libere poffidendum fub hoc pacto ut ipfi fingulis annis in Nativitate fancte *Marie* virginis vel fi tunc habere non potuerint in fefto fancti *Martini* dent ad luminaria Ecclefie noftre quatuor folidos nulla nobis refervata poteftate ipfa bona ipfis auferendi quamdiu prefixo termino dederint Ecclefie noftre folidos pretaxatos. In cujus rei teftimonium prefens fcriptum figillo noftro firmiter communitum prefatis hominibus dedimus ad munimen. Teftes hujus rei funt Dnūs *Abbas de Infula Heinricus* Prepofitus de monte fancte *Gertrudis Rudolphus* Cantor *Widego* Prepofitus fancti *Martini*, *johannes de Bucka Bruno de Spenthove jor-*

danus de Kalenthorpe Arnoldus de Schynne Gerhardus de molen. Canonici Mindenſes. *Ludolphus de Elmethe Bruno de Overenkerken Andreas de Bermeſſen* & alij quam plures. Datum Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo ſexageſimo quinto &c.

XXIII.

SVPER DECIMA IN LYDEREN PERTINENTE AD ARCHIDIACONVM IN ALDEN PRO DECIMIS IN BORDESLO ET IN FRANCKENVELDE.

Heinricus & *Luthardus* fratres nobiles de *Hodenhagen* omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Preſenti ſcripto recognoſcimus & proteſtamur, quod nos ad petitionem & inſtantiam honeſti viri Magiſtri *Arnoldi* Canonici Mindenſis Archidyaconi in *Aledhen* decimam in *Litheren* nobis ab *Henrico de Velthem* libere reſignatam Domino noſtro Mindenſi Epiſcopo prout ab ipſo in feodo tenuimus, reſignavimus abſolute dicti Archidyaconi uſibus de cetero deputandam, reſignationem decimarum in *Bordeslo* & in *Vranckenevelde* quondam à nobis eidem Epiſcopo factam tenore preſentium recognoscentes & ne ſuper hijs impoſterum calumpnie ſcrupulus oriatur, preſens ſcriptum appenſione ſigillorum noſtrorum fecimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt *Conradus* Prepoſitus ſancti *johannis Bruno johannes de Bucka* Archidyaconus in *Lo Arnoldus* Archidyaconus in *Alethen*

then Arnoldus Knygge Canonici Ecclesie Mindensis. *Bernhardus de Lo* Nobilis *L. de Ghietene* plebanus *Wenemannus* presbyter *Ysfridus* presbyter *de Loseggern*, *Lyppoldus de Mandeslo*, *Ludolfus de Nygenburg*, *Albertus de Glisse*, *Ekbertus Vryedach Gherardus de Hornen*, *Druchtlenus de Bothmern* milites, *Ludolfus de Nygenborch Johannes & Thidericus* fratres dicti *Scouben*, *Amelungen Wulnecke*, *Johannes Stache* famuli & alij quam plures. Actum Anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo quinto in Crastino *Georgij* martiris. (24. Apr.)

XXIV.

DE VNA MARCA DANDA DE CVRIA IN VELTHEM IN DIE ANNVNTIATIONIS MARIE.

G. Dei gratia Decanus totumque Majoris Ecclesie in *Minda* Capitulum Universis presentem litteram visuris salutem in Domino Jhesu Christo. Ne gestarum rerum memoria processu temporis evanescat aut pereat discretorum virorum presentia solet eas per litteras eternare, Universitati igitur vestre notum esse cupimus quod Dominus *Conradus de Wardenbergh* sancti *Johannis* in *Minda* Prepositus noster Concanonicus marcam de curijs in *Velthem* que ad suam spectabat obedientiam in die sancto Annunciationis Domine nostre suis concanonicis solvendam nostro communi de consilio ac voluntate perpetuo stabilivit taliter ut

femper ipfo die infra *confiteor* antiphona *hec eft dies quam fecit Dominus* folempniter decantetur & in eadem Antiphona cum cantatur *hodie Deus homo factus eft* ad altare devotio flexis genibus habeatur. Item eadem antiphona ad vefperas ipfo die taliter eft dicendo, poftmodum predicta marca Dñis noftris prefentibus eft equaliter dividenda, ut fic memoria predicti Domini C. in Ecclefia noftra perpetuo habeatur. Ne vero tam pie devotionis factum a memoria elabatur, figilli noftri appenfione fecimus roborari. Actum in Die Annuntiationis Domine noftre Anno Domini Millefimo ducentefimo fexagefimo fexto octavo Kalendas Aprilis.
(25. Mart.)

XXV.

SVPER DECIMIS IN SCAMWEDE ET IN LESSE.

Omnibus prefentes litteras infpecturis *Johannes* Nobilis dictus *de Adenoys* falutem in Domino Jhefu Chrifto. Quia rerum geftarum oblivio memoriam mortalium plerumque adnichilat & excecat, neceffe eft actus humanos fcripturarum teftimonio perhennari. Proinde notum effe cupimus univerfis, quod nos bona noftra decimas in *Scamwede* & in *Leffe* & duas curtes in *Annenftede* cum omnibus attinentijs fuis mancipijs utriusque fexus, quorum nomina hec funt. *Henricus & Rosmod* uxor

uxor ſua & quatuor pueri eorum. Item *Thetberch* & *Albeidis* ibidem que ex morte bone memorie Domini *Frederici* nobilis viri de *Grimmenberg* ſoceri noſtri ad nos & uxorem noſtram *Gertrudim* ſunt hereditario jure devoluta, que idem nobilis a Domino . . Mindenſi Epiſcopo jure tenuit feodali, de predičte uxoris noſtre & heredum noſtrorum plena voluntate & conſenſu, nec non curtem unam proprietatis ejusdem in Hermencher cum omnibus attinentijs ſuis, mancipijs utriusque ſexus quorum nomina hec ſunt. *Helmerinc* & *Margareta* uxor ſua & quinque pueri ipſorum & *Oder* frater dičti *Helmerici*, mulierem quoque unam *Ricburgim* nomine cum duobus pueris ſuis *Odero* & *Henrico* omnia predičta bona cum inhabitantibus & cum omnibus pertinentijs eorumdem, pratis videlicet paſcuis, agris, aquis & aquarum decurſibus, nemoribus, vijs & invijs, Decano & Capitulo Mindenſis Eccleſie vendidimus pro centum marcis Bremenſis Argenti libere & abſolute, ſine omni jugo advocatie perpetuo poſſidenda. promittentes fide data quod ipſi capitulo pro quolibet juſte in petitionis ſcrupulum ingerente dičtorum bonorum plenam & juſtam preſtabimus Warandiam & quod privilegium noſtrum ſuper premiſſis confečtum ſupradičto capitulo dabimus ſigillo noſtro firmiter communitum. Promiſimus etiam quod ante feſtum beati *Martini* dičtam uxorem noſtram filium & filiam Majores *Niemburg* adducemus ut proprietatem curtis in *Hermincher* reſignent in judicio liberorum, & idem facient noſtri pueri juniores

 cum

cum Capitulo videbitur expedire. Nos etiam cum prefata uxore noſtra & omnibus noſtris heredibus memorata bona feodalia in manus Domini Mindenſis Epiſcopi manualiter reſignabimus cum aberi *) poterit & a Capitulo fuerimus requiſiti ſuper hijs igitur fidejuſſores Capitulo dedimus honeſtos viros *Ludewicum* & *Hugonem* fratres dictos *Poſt*. *Wiſcelum*, *Weſtfalum* & *Johannem* Camerarium milites & adhuc duos tenebimur ſubrogare. Promiſſum vero predictorum fiedejuſſorum *Gerhardus* Decanus. *Henricus* theſaurarius. *Ludolfus de Pezien Ludolfus* Cantor. *Bruno de Spenthoue Arnoldus de Scinna. Albertus Spric. Jordanus* Canonici Mindenſis Eccleſie. *Widekindus* nobilis vir advocatus ſenior. *Henricus de Dunger. Gerhardus de Lutter. Richardus Wlpes. Conradus de Spenthoue. Th. de Yſlen.* & *Henricus de Lerebike.* milites receperunt, quodſi premiſſa aliquo caſu prepediente non ſervaverimus dicti fidejuſſores *Mindam* intrabunt inde non egreſſuri donec premiſſa plenius fuerint expedita. **) Hujus rei teſtes ſunt. *Gerhardus* Decanus. *Ludolfus* de *Pezien. Henricus* Theſaurarius. *Ludolfus* Cantor. *Bruno. Albertus. Jordanus. Arnoldus de Scinna. Johannes de Sconenberg. Johannes de Rudenberg.*

*) Aberi pro haberi. hoc ævo adhuc in uſu erat aſpirationem h omittere et ſcribere ortus loco hortus, ymnus pro: hymnus &c. et ſubin vice verſa certis vocabulis addere aſpirationem, ut hoſtium loco oſtium &c.

**) Vid. ſupra Chartam ad an. 1263. decima Maij datam. nro. XVI.

berg. G. *de Baſtorp.* *Arnoldus* & *Florentius* Canonici Mindenſis Ecclefie. *Conradus* & *Th.* filius ejus de *Uſlen.* *Henricus de Dunger.* *H. de Lerbeke.* *G. de Luttere.* *R. Wlpes.* *Conradus* & *Bruno* de *Spenthouen.* milites & alij quam plures cum fidejuſſoribus ſupradictis. Datum & Actum Anno Domini M°CC°LXVI°. In octava Aſſumptionis beate *Marie* Virginis. (22. Aug.)

XXVI.

SVPER CERTIS BONIS FEVDALIBVS.

Venerabili Dño Mindenſis Ecclefie Epiſcopo *H.* dei gratia Comes de *Everſtene* obſequij ſui paratam exhibitionem tenore preſencium proteſtamur quod decimam in *Golebeke* quam titulo pheodi ab Ecclefia Mindenſi tenemus de conſenſu filij noſtri *Ottonis* & aliorum coheredum noſtrorum in manus veſtras reſignamus eo pacto ut ipſam Ecclefie de *Amelungsburn* conferatis perpetuo poſſidendam, ut autem in donatione hujusmodi noſtra Ecclefia ſit indempnis nos valore predicte decime taxato ad ſex marcas pro recompenſacione equipollenti aſſignamus Ecclefie Mindenſi de proprietate noſtra duos manſos in *Bredenworde* & quatuor in *Haslenorde* cum omni jure & proventu ſuo ita ſane ut eosdem loco decime memorate a Vobis & veſtris ſucceſſoribus in beneficio teneantur Conſtanter promittentes quia id quod abſentes ſcripto

proteftati fumus manu & lingua faciemus cum primitus oportunus ad noftram prefenciam aeceffus patuerit & fecurus. Datum Anno Dñi Millefimo ducentefimo fexagefimo fexto.

XXVII.

SVPER BONIS BERCBOLDESSEN.

Ego *Willikinus* exiftens advocatus in *Honover* in prefentibus hoc proteftor, quod *Hildebrandus* & *Theodericus* fratres de *Hubedhe* in mea conftituti prefentia & aliorum militum videlicet *Heinrici de Horber* Dñi *Wefceli* Weftphali Dñi *Luderi de Hauenfe* ac Dñi *Theoderici de Suderfen* Dñi *Theoderici de Althen* & aliorum militum ac fervorum aftantium libere & publice renuntiaverunt omni quod in vulgo dicitur Anfprake *) in bonis *Bercboldeffen* habita Mindenfi Ecclefie, ita quod amplius in ipfa bona nichil juris habeant vel anfprake, & fuper eo hec littera meo figillo eft firmata. Acta funt hec Anno Gratie Millefimo Ducentefimo fexagefimo fexto mee Advocatie anno primo.

XXVIII.

*) Anfprake, Rechtlicher anfpruch, forderung. poftulatio, jus in aliquid, actio forenfis.

XXVIII.

SVPER VNA AREA PERTINENTE CAPITVLO.

Otto Dei gratia Prepofitus. G. Decanus totumque Mindenfe Capitulum univerfis prefens fcriptum vifuris eternam in Domino falutem. Ne geftarum rerum memoria proceffu temporis evanefcat & pereat neceffe eft eas fcripti memoria perhennari. Noverint itaque univerfi quod nos de Communi Confenfu & voluntate aream quandam juxta ecclefiam beati *Johannis Ewangelifte* fitam quam quondam Dnũs *Bruno* dictus de *Spentboue* Ecclefie noftre Cantor pie memorie inhabitaverat ad promotionem & emptionem filij fratris fui Domini *Brunonis* noftri Concanonici ad hoc dedimus perpetuo manendam ut memoria fupradicti *B.* Cantoris in Ecclefia noftra jugiter habeatur ita videlicet, ut idem *B.* junior aut alius Canonicus nofter quicumque fuerit pro tempore ejusdem aree poffeffor in anniverfario fepedicti *B.* Cantoris XXXVI. folidos folvat de eadem, Dominis noftris Canonicis majores prebendas habentibus XXIIII. folidos, Vicarijs IIII. folidos & ad confolationem pauperum & Candelam & oblationem octo reliqui dividentur. Quoniam edificia aree prefate reparatione indigent frequenti, idem *B.* medietatem cunctam domus in *Herlethe* denarijs fuis comparavit, de cujus cenfu confolatio juvabitur memorata, ne defectum pro tempore patiatur. Ne autem hec pia ordinatio ab aliquo inpofterum valeat irritari, prefenti fcripto

eum figilli noftri appenfione duximus confirmandam. Acta funt hec Anno Domini M° CC° LX° VII° VI. Idus Aprilis. (8. Apr.)

XXIX.

SVPER VNO MANSO IN HERLEDE.

Otto Dei gratia Epifcopus Ecclefie Mindenfis Omnibus hoc fcriptum vifuris falutem in omnium falvatore. Ea que geruntur in tempore ne cum curfu temporis labantur fcripturarum folent & teftium nominibus perhennari, hinc eft quod ad noticiam tam futurorum quam prefencium pervenire volumus, quod *Nicolaus* & *Bartoldus* fratres dicti de *Herlethe* & heredes eorundem in noftra conftituti prefentia manfum unum fitum *Herlethe* cum omnibus attinentijs fuis quem a nobis in feodo tenuerant nobis refignaverint libere & abfolute nichil juris in eodem fibi refervantes, quoniam autem Dominus Bruno dictus de fpenthove nofter concanonicus eundem manfum pro fex marcis Bremenfis argenti comparaverat a memoratis fratribus petivit a nobis cum quibusdam Ecclefie noftre Canonicis & alijs viris honeftis, quatenus proprietatem ipfius manfi Capitulo Majoris Ecclefie conferre liberaliter curaremus, Nos vero dictorum precibus inclinati proprietatem prefati manfi cum omnibus pertinentijs fuis areis videlicet agris pratis pafcuis aquis & nemoribus libera-

beraliter & abſolute Capitulo contulinus memorato. Hujus rei teſtes ſunt *Gherardus* Decanus, *Wydego* Prepoſitus S^ti *Martini Conradus* Prepoſitus ſancti *Johannis Ludolphus* Cantor *Henricus* Cuſtos *Arnoldus de Schynna*, *Arnoldus Cnigge* majoris eccleſie Canonicus *Thidericus* Decanus *Johannes* Theſaurarius *Conradus* Scolaſticus S^ti *Martini* Mindenſis *Henricus* & *Florentius* fratres de *Dungerden*, *Conradus* & *Thidericus* filius ſuus de *Uffien Thidericus de Horſcholte Conradus* & *Bruno de Spenthove*, *Bruno Meinfridus de palude Henricus de Lerbeke Johannes de Borchuſen* milites & alij quam plures. Datum & Actum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo Idibus Septembris. (13. Sept.)

XXX.

SVPER CASTRO SASSENHAGEN. *)

Johannes & *Albertus* Dei gratia Duces *Saxonie*, *Angarie* & *Weſtfalie* omnibus preſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Apicum tenore preſencium ad univerſorum notitiam volumus pervenire, quod nos de matris noſtre Kariſſime Domine *Elene* Duciſſe aliorumque fidelium noſtrorum Conſilio Compoſitionem inter bone memorie *Albertum* patrem noſtrum quondam ſaxonie Ducem illuſtrem & venerabilem patrem *Widekindum*

*) Vid. ſupra nro. XX.

dum Mindenſem Epiſcopum ex parte eccleſie ipſius ſuper edificatione Caſtri *Saſſenbagen*, que ſic incipit: Diſcordia inter Mindenſem Eccleſiam & nos ex edificatione caſtri *Saſſenbagen* &c. ſicque finitur: ordinatum eſt etiam ut nec ſucceſſores Epiſcopi Mindenſes &c. ſicut ex inſtrumentis ſuper hoc confectis colligitur evidenter, ratam & firmam cum omni fidelitate conſervare volentes robur ei perpetuum hijs ſcriptis damus, adicientes quod ſemper ſibi ſtabimus & contra ipſius tenorem nullo umquam tempore veniemus. In hujus igitur noſtre voluntatis teſtimonium hanc cedulam appenſione ſigilli noſtri cum uno tantum ad preſens utamur cum ſubſcriptione teſtium duximus roborandum. Sunt autem hij teſtes. *Haribertus* advocatus noſter in *Saſſenbagen. Conradus* de *Kotene. Bartholomeus* pincerna. *Anno de Sidowe. Bertrammus* marſcalcus noſter. *Hellembertus* Camerarius in *Minda* milites. & alij quam plures. Datum & Actum *Louenburg* Anno Domini M°CC°LXVIII°. VI. nonas Marcij. (2. Mart.)

XXXI.

SVPER BONIS IN HERMENNINGHVSEN.

Frater *Otto* Divina permiſſione Mindenſis Epiſcopus Omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Conſtitutus in preſentia noſtra

noſtra *Johannes* famulus dictus de *Hermenninghuſen* confeſſus eſt & publice recognovit coram multis providis & honeſtis quod nichil juris haberet nec umquam habuiſſet in bonis in *Hermínghuſen* & hoc preſentibus proteſtamur. Teſtes ſunt *Wedego* Prepoſitus ſancti *Martini Otto de Welepa Arnoldus dictus de Scinna* Archidyaconus in *Alethen* Canonicus Mindenſis *Lyppoldus de Mandeslo Achilles de Hemenhuſs Gherardus de Hornhem Ludolphus de Nuenborch Ludolphus de Rethem Volcmarus de Stederen* milites *Heinricus Cnigge Olricus Conradus & Reynhardus* fratres dicti de *Esberch Robertus* famuli & alij plures. Datum & Actum in *Mindenberge* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo ſexageſimo octavo. Kal. Novembris. (1. Nov.)

XXXII.

SVPER DECIMIS IN LESSEN ET STAMWEDE &c.

Frater *Otto* permiſſione Divina Mindenſis Eccleſie Epiſcopus omnibus preſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Conſtituti coram nobis nobilis vir *Johannes* dictus de *Adenois* ac Domina *Mechtildis* uxor ejus nec non *Johannes* & *Alheidis* heredes eorum legitimi bona ſita in *Hermennighuſen* & duos domos in *Annenſtede* cum mancipijs utriusque ſexus ad predicta bona pertinentibus, decimam etiam in *Leſſen* & decimam in *Stamwede* que dictus nobilis a nobis tenuit

in

in pheodo de bona voluntate in manus nostras libere resignavit, nos quoque resignatione tali accepta proprietatem omnium supradictorum bonorum mancipiorum & decimarum Decano & Capitulo Ecclesie nostre Majoris Mindensis contulimus libere sicut protestamur ac ipsis recognoscimus per presentes. Datum *Minde* Anno Domini Millesimo du centesimo sexagesimo octavo tertio Kalendas Decembris. (29. Nov.)

XXXIII.

SVPER BONIS IN HERMENNINGHVSEN. &c.

Frater *Otto* divina permissione Mindensis Episcopus omnibus presentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Vt negotia presentis etatis ad posteritatis future noticiam certiora perveniant, litterarum solent apicibus eternari, vestre igitur universitati tenore presentium duximus intimandum quod constituti in presentia nostra nobilis vir *johannes* dictus de *Adenoys* ac Domina *Mechtildis* uxor ejus nec non *johannes & Albeydis* heredes eorum legitimi bona sita in *Hermenningbusen* & duas domus in *Annenstede* cum mancipijs utriusque sexus ad predicta bona pertinentibus, decimam etiam in *Lessen* & decimam in *Stamwede* que dictus nobilis tenuit a nobis in pheodo de bona voluntate in manus nostras libore resignarunt. In cujus rei testimonium presens scriptum fecimus nostri

ſtri ſigilli munimine roborari. Teſtes hujus rei ſunt *Conradus* Prepoſitus ſancti *johannis Arnoldus de Schinna* Archidyaconus in *Alethen* Can. Mindenſ. *Lippoldus de Mandeslo*, *Achilles Gherardus de Hornhem Ludolphus de Nyenborgh* *Ludolphus de Rethenn* milites *Hinricus Cnigge Olricus Gherardus Cnippingh Conradus* & *Raynher* fratres dicti de *Eſprech* famuli & alij plures. Datum in *Mindenberg* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo, tertia Kal. Decembris. (29. Nov.)

XXXIV.

SVPER CVRIA IN BORDEREN IMPIGNORATA MONASTERIO IN SCHVNNA AB EPISCOPO PRO LXXX MARCIS ARGENTI BREMENSIS.

Frater *Otto* divina permiſſione Mindenſis Eccleſie Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in eo qui eſt vera ſalus omnium. Ne rationabilis facti noſtri proceſſum caliginoſe vetuſtatis oblivio revocari poſſit in dubium ea que in preſenti agimus ſcripturarum teſtimonijs non immerito commendamus, proinde ad notitiam tam futurorum quam preſentium cupimus pervenire quod cum Curtis noſtra in *Bordere* laycis eſſet taliter obligata, quod niſi infra certum temporis ſpatium redimeretur ab eis nulla nobis aut eccleſie noſtre ipſam curtem recuperandi de cetero ſpes fuiſſet, nos de communi conſenſu Capituli noſtri

cur-

curtem eandem cum omnibus pertinentijs suis honorabilibus personis Abbati & Conventui Monasterij in *Schinna* qui eam pro octoginta marcis Bremensis argenti de manibus laycorum redemerunt absolute vendidimus pro summa pecunie prelibate transferentes omne dominium quod nos & Ecclesia nostra tenebamus in curte prefata in eos & monasterium eorundem nichilque juris nobis reservavimus in eadem, Porrò nobis seu nostris successoribus curtem recuperandi predictam si eam forsan tempore procedente decreverimus ab eisdem Abbate & Conventu in *Schinna* reemere facultatem liberam benivole concesserunt ita quod eam pro dicta pecunie summa videlicet octoginta marcis Bremensis argenti nobis vel successoribus nostris vendere teneantur nec possint contra hoc alicujus defensionis remedio se tueri quocumque itaque anno curtem jam dictam reemere voluerimus in die purificationis beate Virginis quem pro immutabili emptionis hujus termino acceptamus ipsis Abbati & conventui suam pecuniam persolvemus, super quo, ne imposterum litigiose alicujus questionis scrupulus oriatur, dedimus eis presens scriptum nostro & capituli nostri sigillorum munimine roboratum. Hujus rei testes sunt: *Gerhardus* Decanus *Ludolphus de Pedesen Wydego* S[ti] *Martini Conradus* S[ti] *Johannis* Ecclesiarum Prepositi *Heinricus* Thesaurarius *Ludolphus* Cantor *Johannes de Bucka Bruno* Jordanus *Albertus Sprick Arnoldus de Schynna Gherhardus de Hervor* Otto *de Welepa Johannes de Roden Johannes de Schonen Ludolphus de Bardeleve Gerhardus*

dus de Dilingen Arnoldus Knygge Bernardus de Roſtorp Wolquinus de Monte Canonici noſtri *Conradus* & filius ſuus de *Uffen*, *Gerhardus* & frater ſuus de *Luttern* fratres de *Dungherden Johannes de Bachuſen Meinfridus de palude* milites *Wötſel Rabber Johannes Block Godeſcal de Bordern Goſwinus de Oldendorpe*, *Gotfridus* monetarius *Hermannus de Foro* Burgenſes de Minda & alij quam plures. Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono.

XXXV.

SVPER BONIS IN LEWENHAGEN, NORTSELE &c.

Frater *Otto* &c. Omnibus in Deo Jheſu Chriſto &c. quia labilis eſt hominum memoria que geruntur in tempore ne labantur cum tempore ſcriptis ſolent & teſtibus perhennari, hinc eſt quod ad noticiam tam futurorum quam preſencium cupimus pervenire quod nos de Conſenſu Capituli noſtri & voluntate pro Eccleſie noſtre neceſſitate fratribus dictis *Gerſne* ac eorum juſtis heredibus *juſtacio de Monichuſen* & ſuis heredibus nec non & *Gyſelero* militi fratri ſuo bona in *Lewenhagen Nortſele Vorenhagen Hanechorſt* cum omnibus juribus ſicut tenet Eccleſia pro ducentis marcis Bremenſis Argenti loco & nomine pignoris obligavimus ita tamen ut cum contingat nos vel ſucceſſores noſtros eadem bona redimere quod ante moneta-

rium *) in Minda pecunia perſolvatur & quod dicti milites & famuli ſint in ducatu Eccleſie eundo & redeundo pro omnibus qui nolunt preceptis Eccleſie obedire, ceterum in feſto *Martini* nunc inſtantis infra quatuor annos proximos & continuos dicta bona redimendi non habeamus facultatem, quibus tranſactis liberum erit bona ſepe dicta nobis vel ſucceſſoribus noſtris redimendi & ne alicui de hoc dubium oriatur preſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Datum Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono. quarto nonas Auguſti. (2. Aug.)

XXXVI.

SVPER CERTIS BONIS IN VELZEDHE.

Frater *Otto* divina permiſſione Mindenſis Eccleſie Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino. Notum facimus univerſis, quod nos pro neceſſitate ac utilitate noſtre Eccleſie in *Bemeghe* & *Velzedhe* decimas & manſum unum in ipſa villa *Velzedhe* ſitum cum omni jure & uſu fructu pro quinquaginta marcis Bremenſis Argenti *Henrico* & *Hermanno* fratribus dictis *Kniggen* & uxori prefati *Hermanni* ac eorum juſtis heredibus vendidimus & eosdem ipſis infeodavimus conſenſu noſtri

*) Monetarius, qui monetam cudit, et cuſionis ejusdem emolumenta et commoda curat.

noſtri capituli, ſicut fieri debuit, accedente. Hoc tamen adjecto tenore quod noſtra Eccleſia predicta bona quandocunque voluerint pro eadem pecunia ante tempus Purificationis beate Virginis reemendi habeat facultatem liberam, exceptione memoratorum emptorum ſeu etiam contradictione cujuslibet non obſtante. Adjectum eſt etiam, quod ſi neceſſitas ipſis incumbat, alijs perſonis eadem bona obligare vel vendere poterint, eodem jure quo gaudent in illis & pro eadem pecunie quantitate. Teſtes hujus rei ſunt. *Gerhardus* Decanus. *Henricus* Cuſtos. *Ludolfus* Cantor. *Widego* Prepoſitus Sancti *Martini*. *Conradus* Prepoſitus Sancti *Johannis*. *Johannes de Bucka*. *Bruno de Spenthoue*. *Jordanus de Callendorpe*. *Albertus Spric*. *Reinhardus de Slon*. *Arnoldus de Schinne*. *Gerhardus de Hervordia*. *Gerhardus de Dilinghen*. *Ludolfus de Bardeleve*. *Arnoldus Knicghe*. Mindenſis Eccleſie Canonici. *Florentius* Wigravius. *Richardus Wlpes*. *Henricus* & *Florentius* fratres de *Dungerden*. *Thidericus de Uſlen*. *Thidericus de Horsholte*. *Gerhardus* & *Conradus* fratres de *Lutteren*. milites. *Wrzelus de Rathere*. *Godeſchalcus de Burdere*. *Johannes Bloc*. *Hermannus Corf*. Cives Mindenſes. ut autem hec rata permaneant, noſtro & Capituli noſtri ſigillis preſentem paginam fecimus communiri. Datum *Minde* in Vigilia Pentecoſtes Anno Dñi M°CC°LXX°. (31. Maji.)

 XXXVII.

XXXVII.

SVPER BONIS IN HOLTORPE.

Omnibus hoc scriptum visuris *Alvericus* miles dictus *Stilke* salutem in omnium salutari. juri quod michi videbatur competere in bonis sitis *Holthorpe* renuntio & resigno in manus Domini *Ottonis* Mindensis Episcopi libere & absolute quod recognosco presentibus sigillo meo apposito & protestor. Acta sunt hec presentibus *Ludolpho* Cantore *Henrico* Custode *Widegone* Preposito Sancti *Martini Conrado* Preposito Sancti *Johannis* Mindensis Ecclesie Canonicis *Henrico de Dungherten Johanne de Berchusen* militibus in Domo fratrum Predicatorum Mindensium Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo in Vigilia *Johannis Baptiste*. (23. Jun.)

XXXVIII.

SVPER DVOBVS MANSIS IN MERTESLO.

Frater *Otto* Divina permissione Mindensis Episcopus omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam, quia labilis hominum dinoscitur esse memoria ut rerum gestarum series inmutabili veritate clarescat & ad posteros perveniat a modernis ea que aguntur in tempore non immerito consueverunt litterarum apicibus

eter-

eternari. Veſtram igitur univerſitatem noſſe volumus, quod cum *Florencius* Wygravius *) noſter duos manſos juxta *Merteslo* ſitos honorabilibus Dominis Decano & Capitulo Ecclefie noſtre pro quadraginta marcis Argenti Bremenſis publice vendidiſſet, nos intellecto, quod ipſi manſi pertinerent ad officium quo nominatus Wygravius a nobis ſub Cenſu annuo inpheodatus exiſtit, venditionem ratam habere voluimus antedictam, verum eodem Wygravio tandem per juramentum proprium quod ei de Miniſterialium noſtrorum Conſilio pro ſufficienti probatione detulimus affirmante, quod dictos manſos teneret a nobis titulo pheodi ſingularis ad prelibatum officium non ſpectantes, & quod taliter ex predeceſſorum noſtrorum Conceſſione per ſucceſſionem hereditariam perveniſſent ad ipſum, premiſſe venditioni conſentire curavimus & a predicto Wygravio ac *Bartha* uxore ſua libera dictorum manſorum reſignatione recepta *Hartberto de Mandeslo* milite ſuisque duabus ſororibus conſanguineis dicti Wigravij coram nobis expreſſe renuntiantibus omni juri quod ipſis ex quocumque titulo in manſis competere poſſet eisdem proprietatem ipſorum cum omnibus pertinentijs ſuis Decano & Capitulo memoratis quibus tenues & exiles prebendas habentibus beneficentiam noſtram libenter impendimus cum liberalite benivola duximus conferendam. Ut igitur ſuper premiſſis nulla imposterum dubitationis valeat ſuboriri materià,

 pre-

*) De Wiggravio vide Tomum ſubſidiorum IX.

presens scriptum fieri fecimus & tam subscriptione testium quam nostri sigilli munimine roborari. Testes hujus rei sunt *Conradus de Ufflen* & *Thidericus* filius suus *Henricus de Dungharden* & *Florencius* frater ipsius *Gerhardus* & *Conradus* fratres *de Lutteren*, *Johannes de Berchusen Thidericus de Horscholte* milites. *Wycelus de Rackere Johannes Bloc* Burgenses & alij quam plures Ecclesie nostre milites & vasalli. Actum & Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo in Vigilia *Jacobi*. (24. Jul.)

XXXIX.

SVPER DECIMA IN HEVEREN.

Frater *Otto* Divina permissione Mindensis Episcopus omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Gestarum rerum series provide firmari consuevit robore scripturarum, ut eorum testimonio mediante quod humana non valet retinere memoria, producatur ad notitiam futurorum. Noverint igitur tenore presentium universi tam presentes quam posteri, quod cum *Ghiselbertus* miles dictus de *Hokelne* & *Arnoldus* frater suus laycus pheodum quod habuerunt a nobis in decima quorundam agrorum sitorum juxta villam *Heueren* inter agros qui honorabilibus Dominis Decano & Capitulo Ecclesie nostre fuerunt multo tempore decimales pro decem marcis argenti Bremensis vendidissent eisdem & illud in

manus

manus nostras libere resignassent, nos hujusmodi resignatione recepta dictam decimam cum omni dominio sive jure quod habuimus in eadem prefato Decano & Capitulo ad meliorationem prebendarum suarum & per ipsos Ecclesie memorate liberaliter duximus conferendam. In cujus rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes hujus rei sunt *Florencius* Wigravius *Conradus de Ufflen* & *Thidericus* filius suus *Heinricus de Dungerden* & *Florentius* frater suus *Gherardus* & *Conradus* fratres de *Lutteren Johannes de Berchusen*, *Thidericus de Horscholte* milites. *Wicelus de Rather* & *Johannes Block* Burgenses & alij quam plures Ecclesie nostre milites & Vassalli. Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo in Vigilia *Jacobi* Apostoli.

(24. Jul.)

XL.

SVPER VNA CVRIA IN NAMMEN CAPITVLO PERTINENTE.

Frater *Otto* divina permissione Mindensis Episcopus omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Gestarum rerum series provide firmari consuevit robore scripturarum ut earum testimonio mediante quod humana non valet retinere memoria perducatur ad noticiam futurorum. Ad vestram igitur cupimus pervenire noticiam, quod *Nicolaus* dictus *de Har-*

dessen laycus & Domina *Jutta* soror sua uxor *Johannis* militis de *Vorcbome* & eorum heredes curtem in *Nammen* quam a nobis tanquam a Preposito Ecclesie nostre communiter habuerunt in pheodum pro quinquaginta marcis argenti Bremensis honorabilibus Dominis Decano & Capitulo ipsius Ecclesie vendiderunt & constituti coram nobis in manus nostras vivis vocibus libere resignaverunt eandem, porro nos qui per dispensationem concessam nobis a sede Apostolica de gratia speciali Prepositurarn Ecclesie supradicte cum Episcopatu tenemus, *) recepta resignatione hujusmodi eorumdem Decani & Capituli supplicationibus annuentes ipsis & per eos ecclesie memorate que propter tenuitatem prebendarum ipsius facultatum augmento indigere dinoscitur proprietatem curtis predicte cum omnibus pertinentijs suis irrevocabili liberalitate duximus conferendam. In cujus rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes hujus rei sunt *Florentius Wygravius Conradus de Ufflen* & *Thidericus* filius suus *Heinricus* de *Dungherden* & *Florentius* frater ipsius *Gherbardus* & *Conradus* fratres de *Lutteren Johannes* de *Bakbusen Thidericus de Horschbolte* milites *Wycelus de Racbere* & *Johannes Block* Burgenses & alij quam plures Ecclesie milites & Vasalli. Actum & Datum Anno Domini Millesimo

*) Casus plane singularis, quod Episcopus Ecclesiæ Mindensis simul esset ejusdem Ecclesiæ Præpositus ad exemplum sui Antecessoris *Wydekindi de Hoya*. vide hujus Tomi nrum II.

fimo ducentefimo feptuagefimo in Vigilia *Jacobi* Apoftoli. (24. Jul.)

XLI.

SVPER VNA CVRIA IN GRESE-BILLEN.

G*erlagus* Dei gratia Abbas totusque Conventus Ordinis fancti Benedicti in *Infula* apud *Mindam* omnibus hoc fcriptum vifuris falutem in eo qui eft omnium vera falus. Cum evum noftrum in fuo ordine fic fe revolutione fedula retorqueat, ut fucceffione temporis futuri preteritorum oblivio furrepat, confilium eft prudentis ut acta digna memoria fcriptorum elucidatione fic ferventur integra quod usque ad curfum futuri temporis circa gefta veritatis evidentia pateat incorrupta. Noverint igitur univerfi, quod nos medietatem unius domus in *Grefebille* cujus proprietas ad nos dudum pertinebat, quam videlicet domum a *Godefcalco* milite dicto Sclecop qui eam a nobis in pheodo tenuit pro viginti quatuor marcis Bremenfis Argenti comparavimus titulo emptionis Decano & Capitulo Mindenfis Ecclefie Vendidimus cum omnibus pertinentijs fuis aquis agris partis & nemoribus perpetuo poffidendam, fuper quo dedimus eis prefens fcriptum inde confectum noftri & Ecclefie noftre figillorum munimine roboratum. Hujus rei teftes funt *Rychardus* Dapifer *Henricus de Dungerden Gherardus* & *Conradus* fratres de *Lutteren*, *Jo-*

hannes de Berchusen, *Florentius de Dungerden* milites *Johannes Block Godescalcus de Bordhere Henricus Sprunc* Cives Mindenses & alij quam plures. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo secundo decima octava Kalend. Maji. Indictione quinta decima. (14. Apr.)

XLII.

SVPER TRIBVS DOMVNCVLIS IN ZONA SITIS.

G*erhardus* Dei gratia Decanus totumque Capitulum Ecclesie Mindensis omnibus hoc scriptum visuris salutem in Domino sempiternam. Noverint universi quod johannes laycus noster Camerarius gratia devotionis excitatus de voluntate & Consilio nostro tres domunculas sive cellas in *Zona* sitas, quas a *Johanne Clipeario* Cive Mindensi emptionis titulo comparaverat pro suorum remissione peccaminum septem altaribus scilicet quinque vicarijs in Ecclesia nostra Majori, quorum unum est vicaria beate *Marie* Virginis secundum sancti *Johannis* Evangeliste Tertium Decani *Eggehardi* Quartum beate *Katherine* Quintum advocati de Monte & duabus capellis videlicet ad sanctum *Johannem* Ecclesie forensis & ad sanctum *Georgium* ad habendum perpetuo vinum & oblatas *) per totum

*) Oblata, panis ad sacrificium oblatus, hostia nondum consecrata. Qualiter hostiæ seu oblatæ ex grano

totum annum ad miſſas libere & abſolute contulit jure perpetuo poſſidendas, ut ſacerdotes ibidem celebrantes ipſum orationum ſuarum & aliorum bonorum que inſpirante Domino fiant ab eis participem faciant in vita pariter & in morte. ut autem hec pietatis donatio in convulſa permaneat & robur obtineat debite firmitatis, preſens ſcriptum inde confectum Eccleſie noſtre ſigillo ipſis dedimus communitum. Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Idus Maji. (15. Maij.)

XLIII.

SVPER CERTIS REDDITIBVS.

Omnibus preſens ſcriptum viſuris *Burchardus* miles & *Fridericus* fratres dicti de *Helbeke* paratam ad beneplacita voluntatem. Noverint Univerſi quod nos trium talentorum ſeu ſexaginta ſolidorum uſualis monete reditus, quos Actenus ab Epiſcopo Mindenſi in feodo habuimus ad manus jam dicti Epiſcopi reſignare tenebimur, cum primum XVII. marce Bremenſis argenti nobis ex parte memorati Epiſcopi fuerint preſentate & ad hoc nos juxta quandam compoſitionis formam preſenti-

grano puriſſimo ab ipſis monachis cum ſtatis ceremonijs et precationibus in ferramento characterato fiebant, pluribus proſequuntur *Udalricus lib.* 3. *conſuet. cluniacenſ. c.* 13. *& uſus antiqui Ciſtercienſes c.* 114. *&c.*

ſentibus obligamus. Quia ſigilla per nos non habemus, ſigillo fratris noſtri *Thiderici de Helbeke* militis uſi ſumus. Datum *Minde* Anno Domini M°CC°LXX°IIII. XV. Kal. Marcij. (15. Febr.)

XLIV.

SVPER CVRIA BOYDINGHOFF.

Henricus Dei gratia nobilis advocatus de Minda Omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino. Cum res geſta commendatur litteris univerſa calumpnie prevenitur materia, ne preſtetur litis occaſio ſucceſſori. Noverint igitur Univerſi quod conſtitutus coram nobis *Johannes de Buſſche* famulus actionem quam contra Decanum & Capitulum Mindenſe ſuper curia *Boydinghoff* ſita prope *Bunethe* Osnaburg. Dioc. intentabat remiſit renuntians omni juri ſi quod ei & ſuis amicis vel heredibus in predicta curia competere videbatur. Ad evidentem vero hujus rei certitudinem noſtrum ſigillum preſentibus duximus appendendum. Teſtes ſunt *Hermannus de Haren Godefridus de Ruernhem Johannes* dictus *Gallicus* & *Johannes de Eſen* milites & alij quam plures. Datum *Wlotouwe* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio. In die beati *Sixti*. (6. Aug.)

XLV.

XLV.

SVPER CASTRO ARNHEYM.

Viris honorabilibus & discretis Domino Episcopo, Capitulo & ministerialibus ac Universitati Civitatis Mindensis Dei gratia *Johannes* Dux de *Brunswich* tam paratam quam benivolam ad omnia voluntatem. Noverit Universitas vestra, quod nos in Castro *Arnhem* quod Advocatus noster *Hildemarus de Obergen* dicitur construxisse nichil juris vel proprietatis habemus vel etiam nobis aliquid intendimus vendicare. Et hoc litteris presentibus protestamur. Datum *Brunswich* Anno Domini M°CC°LXXIII°. in Crastino Assumptionis beate Virginis. (16. Aug.)

XLVI.

SVPER QVINQVE MANSIS.

Ludolfus Dei gratia Comes *de Rodben* omnibus fidelibus Christi presens scriptum visuris salutem in omnium salvatore. Ut major fides adhibeatur gestis negotijs expedit scripturam aliquotiens fieri que contineat testimonium veritatis. Noverint tam presentes quam posteri, quod in recompensam advocatie quinque mansorum in Coldene velde sitorum, quorum proprietatem Abbas & Conventus ipsius in *Luka* Cisterciensis Ordinis tenet de Ecclesia *Wnstorpe*, damus tres mansos si-

tos

tos in *Dhoteberch* Venerabili Domino *Ottoni* Mindensi Episcopo & ipsius Ecclesie libere & absolute & presentibus resignamus. Item pro reliquis duobus, duos mansos in *Adhenhusen* prefato Domino nostro & ipsius Ecclesie demonstravimus. Ut autem hec permutatio rata permaneat & inconvulsa presens scriptum inde confectum nostro sigillo duximus roborandum. Datum *Wnstorpe* Anno Dominice Incarnationis M°CC°LXX°III. In die *Nicolai.* (6. Dec.)

XLVII.

SVPER DECIMA IN RETHEN ET PISCATVRA IN WELKENBVRG.

W*ibrandus* Dei gratia Comes de *Halremunt* & *Johannes de Adenys* nobilis omnibus hoc scriptum visuris notum facimus, quod constituti in presentia nostra *Hermannus* & *Henricus* famuli fratres de *Knicgen* nec non *Aleydis* uxor ejusdem *Hermanni* recognoverunt se cum Reverendo in Christo Patre *Ottone* Episcopo & Ecclesia Mindensi inijsse contractum inferius annotatum. Decimam in *Rethen* & unam piscaturam in *Welkenburg* cum juribus & pertinentijs eorundem comparaverunt a supradicto Episcopo de consensu sui Capituli pro quinquaginta marcis Bremensis argenti & ab ipso premissa in feodum receperunt, hac conditione adjecta, ut post mortem *Hermanni* sive habeat heredem sive non, Ecclesia Mindensis contractum rescin-

refcindere poterit, ita videlicet, quod data eadem pecunie quantitate *Henrico* & *Aleydi* predictis prelibate pifcatura & decima ad Ecclefiam libere revertantur. Et hec emptio ac infeodatio ad heredes ipfius *Hermanni* fi Dominus ei heredes dederit, non ad heredes ipfius *Henrici* vel etiam *Aleydis*, fi prolem ex fecundis nuptijs fufceperit, extenditur. Sed fi memoratus *Hermannus* fine herede deceffe-rit, poft mortem *Henrici* & *Aleydis* pifcatura & decima fepedicte ad Ecclefiam fupradictam libere redire debebunt. Quodfi *Hermanno* ficut fuperius tactum eft, heres procreabitur, nichilominus tamen Ecclefia contractum venire poterit, ipfi heredi premiffa quantitate pecunie reftituta, fed hoc fieri non licebit *Hermanno* vivente. Ad evidentiffimam hujus rei certitudinem noftra figilla prefentibus appofuimus; ad hoc rogata a fuperius nominatis perfonis. Datum *Halremunt* Anno Domini M°CC°LXXIII°. XII. Kal. Januarij.

(21. Dec.)

XLVIII.

SVPER DVOS MANSOS IN MONLE ET VNVM IN BESSERVNGE.

Nobili viro & Domino fuo dilecto *H.* Advocato dicto *de Monte Henricus* dictus *Dobelften* de *Waneberg* debite fidelitatis obfequium cum affectu, Quia Dominus *Johannes* dictus *Climer* michi pro bonis que de manu veftra teneo fatisfecit, eadem

dem bona scilicet duos mansos in *Monle* & unum mansum situm in *Besserunge* que de vobis hactenus tenui, sive pheodum eorumdem vobis resigno supplicans diligenter quatenus eadem dicto Domino Jo. Climer porrigatis. Datum Breme Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo tertio.

XLIX.

SVPER VILLA WYDESSEN.

In nomine sancte & individue Trinitatis Amen. Omnibus hoc scriptum visuris *Burchardus* Comes de *Welepa* sue possibilitatis obsequium cum salute. Bone rei memoria nulla meretur oblivione deleri, quare consuevit antiquitas acta legitima scripturarum amminiculis perhennare. Notum ergo sit omnibus tam presentibus quam futuris quod nos Ecclesiam Mindensem matrem nostram, que nos suis ditavit stipendijs & feodis honestavit, respicere volentes ne videremur ingrati personaliter Mindam venimus & de consensu nostre conjugis & fratrum nostrorum *Bernhardi & Ottonis* Bremensis & Mindensis Ecclesiarum Prepositorum, quorum sigilla presentibus appensa sunt, proprietatem bonorum in *Widessen* una cum ecclesia ac omnibus & pertinentijs suis & omnia bona nostra que habemus tam in villa, quam extra villam predictam integraliter sicut emimus a Comite de *Regenstene*, in hominibus cujuscunque condicionis seu mancipijs utriusque sexus in agris cultis & incultis,

cultis, in domibus ſeu areis deſertis & inhabitatis, in rivis, ſilvis, paſcuis, pratis, vijs & invijs, piſcationibus, venationibus & omnibus ſuis attinentijs & qualibet integritate juris donavimus & obtulimus ſuper beati *Petri* Scrinium *) preſentialiter Domino *Ot.* Epiſcopo & Capitulo Mindenſi & eorum ſucceſſoribus in perpetuum poſſidenda. Que bona ab ipſo Epiſcopo in continenti jure recepimus feodali. Cauſa ſiquidem hujus donationis noſtre hec fuit. Prefati Domini *Otto* Epiſcopus & Capitulum Religioſis viris Abbati & Conventui fratrum Novalis **) ſancte *Marie* Virginis apud Hildenſem Ordinis Ciſtercienſis tunc temporis cum hoc egimus, ad noſtras preces & inſtantiam Curtem quamdam in Gegenhuſen ſedecim manſos habentem & ad menſam Epiſcopalem pertinentem cum omnibus ſuis juribus & attinentijs contulerunt, nam bona hec Eccleſie Mindenſis fuerant & nobis mediantibus in jam dictos monachos ſunt translata. In hujus rei certitudinem preſens ſcriptum ſigilli noſtri eſt appenſione munitum. Teſtes vero hujus donationis ſunt *Gerhardus* Decanus *Ludolfus de Pedeſſen. Ludolfus* Prepoſitus ſancte *Marie*

*) Scrinium, ærarium, theſaurus, fiſcus Principis. Charta *Humberti* Epiſc. Gratianopol. an. 1034. apud *Mabillon. Tom IV. Annal Benedict. p* 730. Mirum in modum deliberavi et admodum delegi monaſterium fieri ex ſanctæ ſedis ſcrinio, illudque pulchre confici ex Eccleſiaſticis rebus &c.

**) Marien Rodte *Leibn. T. II. pag.* 431. *ſq.*

Marie. Widego Prepofitus fanĉti *Martini. Conradus* Prepofitus fanĉti *Johannis. Bruno de Spenthove. Jordanus de Callendorpe. Albertus Spric. Reynhardus de Slon. Gerhardus de Hervordia. Arnoldus* thefaurarius. *Gerhardus de Baftorpe. Ludolfus de Bardeleve. Arnoldus Knicge. Godefcalcus de Difholte. Volcwinus de Monte.* Mindenfes Canonici. Dominus *Henricus de Homborch Conradus* nobilis *de Arnhem. Hildemarus* Advocatus in *Honovere. Godefridus de Thifenhufen. Florencius* Wigravius. *Richardus Wlpes. Henricus* & *Florentius* fratres de *Dungherden. Bruno* de *Spenthove. Conradus de Luteren. Johannes de Barchufen. Thidericus de Ufflen.* milites & alij quam plures. Datum *Minde* XV. Kal. Febr. Anno Domini M°CC°LXXIIII°. (18. Jan.)

L.

SVPER CERTIS BONIS IN LEWENHAGEN &c.

Omnibus prefentem cartulam infpeĉturis *Hildemarus* advocatus in Honovere paratam ad beneplacita voluntatem. Recognofco tenore prefencium & publice proteftor, quod bona Mindenfis Ecclefie in *Lewenhagen. Norfele. Vorenhagen.* & *Havechorft* michi meeque conjugi & liberis tantummodo funt titulo pignoris obligata. Que dum obligarentur ego promifi manualiter data fide una cum nobilibus viris Comite de *Welepa Burchardo*, *Conrado* Nobili de *Arnhem* & Domino *Henrico de Hom-*

Homborch, quod cum Dominus Episcopus & Capitulum Mindense vel eorum successores ipsa bona redimere voluerint, ego & uxor mea sive heredes in redimendo difficultatem nullam penitus faciemus. immo placet nobis ut restituta pecunia ducentarum & quindecim marcarum statim ipsa bona sicut justum est, ad Mindensem Ecclesiam libere revertantur. Promissionem nostram fide vallatam tam venerabilis Pater Dominus *Otto* Episcopus quam Mindenses Canonici receperunt. In hujus igitur rei certitudinem sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum *Minde* Anno Domini M°CC°LXXIIII°. XIII. Kal. Febr. (20. Jan.)

LI.

SVPER CERTIS BONIS IN WYTERSEN.

Omnibus hoc scriptum visuris Henricus *Johannes* & *Richardus* fratres dicti de *Henninge* in vero salutari salutem. Ne rerum gestarum notitia processu temporis in oblivionem veniat consuetum est eas litteris perhennare. Noverint igitur tam futuri quam presentes quod nos de consensu uxorum ac heredum nostrorum bona quedam in *Wytersen* sita que de manu honorabilis viri Decani Majoris Ecclesie Mindensis in feodo tenebamus Preposito Decano totique capitulo Ecclesie prefate cum omni juris integritate pratis aquis pascuis nemoribus & omnibus alijs pertinentijs suis pro sep-

tem marcis Bremenſis Argenti vendidimus jure perpetuo poſſidenda nichil juris nobis vel uxoribus ſeu etiam noſtris heredibus in ipſis amplius reſervantes. Ne igitur ſuper hoc aliquis queſtionis ſcrupulus poſſit impoſterum ſuboriri, preſentem paginam quia ſigillo caremus, ſigillis nobilis viri Comitis de *Hoya* ac oppidi in *Niggenborch* petivimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt *Conradus* plebanus in *Nigenborch*, *Fridericus de Staigerden Arnoldus de Nigenborch*, *Hertberus de Bugen Arnoldus Corlebake Renoldus de Oſtra* milites. *Barwardus de Hemmenbuſen Nicolaus Vridagh Nicolaus Balke* famuli *Henricus Domine Jutte Volcbrammus Alberinus Stuke Godefridus de Varle Rodilfus de Leſe Nicolaus de Sulingen Hermannus Piſtor* Conſules & Burgenſes & alij quam plures. Datum & Actum Anno Dñi Milleſimo Ducenteſimo ſeptuageſimo quinto Dominica qua cantatur *Letare*. (24. Mart.)

LII.

SVPER NOVVM CASTRVM REDEMPTVM PER EPISCOPVM.

Hec eſt forma compoſitionis inter Dominum Epiſcopum & Eccleſiam Mindenſem ex parte una & nobilem virum *Burchardum* Comitem de *Welpa* ex altera. Dñus Epiſcopus dabit predicto Dño Comiti trecentas marcas Bremenſis Argenti in Nativitate *Johannis Baptiſte*, quam pecuniam, promittent viginti milites una cum Domino Mindenſi Epi-

Episcopo & sex canonicis Domino *Lippoldo* quadraginta marcas Dño *Achilli de Hennenhusen* decem & novem. si vero Dñus *Lippoldus de Maneslo* in novo Castro manere voluerit, non abicietur, sed castrense salarium, quamdiu ibi manere voluerit, habebit, si vero recedere voluerit, quemcunque filiorum suorum substituere voluerit, predictum salarium quod dicitur borchlen *) cum mansione patris obtinebit, si vero omnino cum pueris recedere voluerit competenti estimatione habita sibi edificia persolventur. Idem *Lippoldus* si aliquis maliciam vel injuriam intulerit de Castris & munitionibus Mindensis Ecclesie secundum consuetudinem ministerialium se defendet, si vero predictus *L.* querimoniam facere voluerit de aliquo super retentione prebende vel quibuslibet alijs rebus ipse sibi justitiam plenariam exhibebit, filius Dñi *Lippoldi* concanonicus Ecclesie Mindensis nullam prorsus in prebenda & beneficijs injuriam patietur, si autem supradictus *Achilles* de novo Castro recedere voluerit in presenti edificia sua ei pro quatuordecim marcis persolventur, sed si forte manere voluerit, suum castrense salarium obtinebit & si post hoc recedere voluerit tunc estimatione competenti sibi edificia persolventur, Dominus Episcopus predicti militis filiam in Claustro *Walfrote* receptam in assecutione sue prebende non impediet sed pacem promovebit cum effectu. Preterea siqui de predicto novo Castro fidejussione pro Domino Episcopo vel aliquibus debitis obligati fue-

 rint

*) Burg - lehen.

rint vel ipsis solvere teneatur, absolvet eos in amicitia vel in jure, & si aliquis ex Castellanis recedere voluerit in presenti, edificia ipsorum sibi in jure vel amicitia persolventur. Item *Roberto* quinque marce persolventur in termino supradicto quarta feria proxima post *quasi modo Geniti*. *) Comes Novum Castrum Mindensi Ecclesie restituet medio tempore emolumentis omnibus gavisurus omni exactione cessante, sed statim receptis fidejussoribus turrim restituet & medio tempore res suas deducet, sed omnia que ecclesie fuerant, relinquet, dampnum quod homines ecclesie apud *Rekolineke* & alij manentes in villa protulerunt, Dominus Episcopus taliter restaurabit, quod Dominus Dux & sui querimoniam non movebunt, omnia dampna que dictus Comes Ecclesie Mindensi intulerat sive canonicis sive laycis sine omni questione pertransibunt. Item solvet Dnūs Episcopus *Johanni de Bruninchehusen* quod de jure solvere tenetur in amicitia vel in jure, in Officio advocatie *Conó* miles de *Disber* permanebit tam diu donec sibi triginta marce Bremensis argenti persolvantur, obligationem decime Hemege Dnūs Episcopus ratam habebit quousque pro viginti quinque marcis ipse vel successores sui redimere valeant, super hoc dabit litteras suas patentes cum sigillo Capituli fratres de *Luthern* G. & C. Castellani vel advocati in novo castro non statuentur nisi de voluntate Domini Comitis de *Welpa*. Item Dnūs Episcopus *Johannem de Rynthern* prebende sue in *Hamelen* restituet

*) Dominica *in Albis* prima post Pascha.

tuet ſicut antea poſſedit. Item Dominus Epiſcopus abſolvet curiam in *Dugenthorpe* comiti de *Wunſtorpe* in ſua amicitia, inimicitie de ſervo *Bernhardo* occiſo de novo caſtro ſecundum conſilium Domini Comitis de *Wunſtorpe* & H. advocati de *Schoenborgh* ſopientur. De diſcordia ſuper polanro inter *Henricum* militem de *Dungerthen* & Dnūm *Hermannum Pomponem* talis erit compoſitio *H. de Dungerthen* quod juramento obtineat vel Dnūs S. promittat obtinere Dnūs Epiſcopus omnes quos excommunicavit abſolvet ſive clericos ſive laycos. Item Dnūs Epiſcopus *Otto* & Eccleſia Mindenſis tutorem non eligent invito Comite de *Welepa.* Item Dnūs *Otto de Welepa* Canonicus Mindenſis quinque annis abeſſendi licentiam habebit. Teſtes hujus ſunt: *Gherardus* Decanus, *Ludolfus* Cantor *Wydigo* & *Conradus* Prepoſiti *Johannes de Bucka* Magiſter *Arnoldus de Schima* Canonici Mindenſes Dnūs *Ludolfus* Comes de *Wunſtorpe Horbertus de Maneslo* & filius ſuus *Hermannus*, *Poppo Godefridus* de *Tyffhus* advocatus *Hildemarus Bruninck* . . & *Johannes* Camerarius milites & alij quam plures clerici & laici. In cujus rei teſtimonium nos frater *Otto* Mindenſis Epiſcopus & nos *Burchardus* de *Welepa* Comes preſentibus ſigilla noſtra duximus apponenda. Actum apud *Saſſenhagen* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Idus Aprilis. (13. Apr.)

LIII.

CERTA CONFEDERATIO.

In nomine ſancte & individue Trinitatis Amen. Ecclefia Mindenſis & Ecclefia Hervordenſis cum ſuis civitatibus, Omnibus in perpetuum. Ea que aguntur in tempore ne ſimul labantur cum tempore eternari ſolent teſtimonio litterarum. ſane tam preſentibus quam futuris conſtare cupimus, quod nos confederationem ſeu mutuam amicitiam inter nos dudum habitam de novo decrevimus innovare & nobilem virum *Ottonem* Comitem de *Ravensberge* & ſuos heredes nec non civitatem *Bilenvelt* in eandem Confederationem inter nos & eccleſiam Osnabrug. ab antiquo huc usque obſervatam & perpetuo permanſuram ſano & deliberato conſilio ac conſenſu recepimus, quia eam nobiſcum cum omnibus ſuis tam munitionibus quam hominibus ſervare promiſerunt ſecundum quod in ſequentibus continetur. Talis vero Ordinatio inter nos promiſſionibus juramento & fide hinc inde preſtita interceſſit, quod invicem preſtabimus auxilium & ſubſidium contra quoslibet injuriam ac violentiam inferentes, exceptis imperio & Eccleſia Colonienſi. Item ſi aliquis alicui noſtrum violentiam vel calumpniam per rapinam & incendium intulerit, injuriam paſſus nobis conquerendo ſignificabit & nos talem injuriatorem ut a ſua injuria deſiſtat & de dampno ſatisfaciat in amicitia vel in jure ſi poterimus efficaciter inducemus & injuriam paſſus in receptione ſatisfactionis noſtris per omnia conſilijs acqui-

acquiescet, quod si facere noluerit ad auxiliandum sibi non erimus obligati. si vero injuriator satisfacere de injurijs contempserit, post quatuordecim dies a tempore prime commonitionis auxilium injuriam passo pro nostra possibilitate impendere non obmittemus & cum venerimus in terminos evocantis vel evocantium in propria perditione sed in expensis postulantis vel postulantium sicut decet serviemus. Item si aliquis ausu temerario terminos nostros violenter invaserit ac rapinam & incendium commiserit, omnes nos publica proclamatione a parte viciniori facta evocati totis viribus & sine mora prosequemur ad rapinam revocandam & terram nostram defendendam. Item ad quemcunque locum convenerimus, auxilium si necesse fuerit in invicem prestabimus prout confederatio nostra exigit & requirit, Item si aliquis casualiter hinc inde Spolio vel alio quocunque modo excesserit, ille cui conjunctus est, ipsum ad concordiam & satisfactionem infra spatium sex septimanarum, si poterit, revocabit, nec ipsum infra dictum spatium ulterius excedere patietur, si vero ipsum ad concordiam & satisfactionem inducere non poterit, excedens tanquam perjurus & fide privatus abicietur perpetuo & quilibet nostrum ipsum in rebus & corpore tanquam capitalem inimicum hostiliter persequetur. Item si aliquis in recenti facto vel spolio deprehensus fuerit & justo judicio punitus, nullus in hoc est excessus commissus. Item si quis alium pro debitis vel alijs incusaverit, ad spatium sex septimarum antequam

res ſuas per judicium occupet, cauſam ſuam prout juſtum fuerit, coram ſuo judice proſequetur. Item inter terminos noſtros non edificabitur Caſtrum aliquod niſi de communi conſenſu omnium noſtrum & paribus expenſis & laboribus edificabimus & poſſidebimus, & ſi ab alijs edificatum fuerit, nos omnes una defendemus. Item in Caſtro *Reynenberg* nullus aſſumetur, niſi ſit Mindenſis Oſnaburgenſis & Hervordenſis Eccleſiarum miniſterialis, nec etiam aliquis nobilis aſſumetur. Item ſi aliquis miniſterialis vel burgenſis vel famulus contra dominum ſuum & eccleſiam ſuam exceſſerit, alij ipſam ad juſtitiam vel gratiam & non ad guerram per ſpatium ſex ſeptimanarum manutenebunt. preterea ſi forte, quod abſit, inter aliquem noſtrum orta fuerit diſcordia, de qualibet parte noſtra ſex diſcretiores in Eccleſiam Lutbecke convenient, inde non receſſuri, niſi illa diſcordia in jure vel amicitia fuerit terminata & ſopita & nulla pars noſtra vel homo cujuslibet partis jus alterius recuſabit. Item homines conjuratis noſtris propriario pertinentes in noſtras munitiones vel in loca que vulgariter Vriheyt dicuntur, Dominis ſuis invitis nullatenus recipiemus. Item ſi aliquem de noſtris conjuratis aliquo infortunio vel ratione exceſſus perfugium fieri contigerit, una pars de noſtris partibus ad quam confugerit ad ſpatium ſex ſeptimanarum ipſum manutenebit & nullas res ſuas ſi quas in civitatibus vel extra habuerit, infra dictum terminum ſibi uſurpabit. Item omnes in Eccleſijs, civitatibus, oppidis & dominijs noſtris commoran-

tes,

tes, ministeriales, milites & famuli videlicet fidem dabunt & fide data promittent, Burgenses vero & domorum hospites & omnes qui vulgariter Sulfmundig *) dicuntur, nec non omnium presentium successores pro tempore jurabunt predictam confederationem, quamdiu in nostris terminis manserint & manere voluerint se firmiter servaturos. Item istam confederationem nullus nostrum infringere poterit, nisi de communi consensu infringatur. Ut autem hec inviolabiliter & perpetuo observentur, presentem paginam super premissis jussimus conscribi & Venerabilis viri Domini Volcwini electi & Ecclesie Mindensis, nec non Reverende Domne Abbatisse & Ecclesie Hervordensis ac nobilis viri Comitis de *Ravensberg* & civitatis Mindensis veteris & novi oppidorum Hervordensis & Bilenfeldensis sigillis fecimus communiri. Datum Anno Domini M°CC°LXX septimo. Idus Februarij. (13. Febr.)

LIV.

SVPER VARIIS DOMIBVS ET BONIS EMPTIS A MONASTERIO SCHILLESCH.

Heinricus Prepositus *Lutgardis* Decana totusque Conventus Ecclesie Scillestensis Parderb. Dioc. ad

*) Sulfmundig a Sulf, *Selbst*, et mundig. qui curatore non indigent, majorennes. unmundig. minorrennis. vormund, tutor, curator. mund significat einen beystand.

ad certitudinem presentium & memoriam futurorum. Cum res gesta commendatur litteris universa calumpnie prevenitur materia, ne prestetur litis occasio successori. sane innotescere cupimus Universis quod nos bona & possessiones infra scriptas cum proprietatibus usufructibus & omnibus attinentijs suis Capitulo Ecclesie Mindensis pro centium marcis gravium denariorum pari voto consensu & unanimi voluntate vendidimus perpetuo possidendas, quos denarios memoratum Capitulum nobis per suum Nuntium ad hoc deputatum numeravit & tradidit, & nos pro pagaris *) habemus de ipsis recognoscentes & protestantes supradictam pecuniam in utilitatem Ecclesie nostre Scillestensis predicte fore conversam & eundem emptionis contractum celebratum fuisse ut Ecclesia nostra meliora prospiceret & possessiones utiliores viciniores & commodiores comparare valeret cum pecunia sepedicta, possessiones vero quas vendidimus sunt hee: Due domus in *Colete* una domus in *Eckborst* una domus in *Uflen*, una domus in *Herdinghus* una domus in *Brenderdinghusen*, una domus in *Reme*, mansus unus in parochia *Eysberge* qui solvit tres solidos leves, molendinum unum in *Elffiede* cum omnibus attinentijs proprietatibus usufructibus silvis pratis pascuis piscaturis aquarum decursibus & juribus universis possessionum ipsarum, renuntiamus etiam exceptioni doli mali non numerate pecunie restitutioni in integrum jure minoris & quod pretium venditionis in utilitatem eccle-

*) Solutis.

ecclesie conversum non fuerit & omni juris auxilio Canonici seu civilis generalis, vel specialis consuetudinis vel privilegij per quod nos vel nobis succedentes possemus imposterum contravenire & contractum predictum rescindere, & per quod antedictum Mindensis Ecclesie Capitulum ledi posset circumveniri decipi vel fraudari & ad evidentissimam hujus rei certitudinem Prepositi & Ecclesie nostre sigilla presentibus duximus apponenda. Datum *Scilliste* feria quinta post Dominicam *Quasi modo* Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo septimo. (8. Apr.)

LV.

SVPER EISDEM BONIS.

O*tto* Dei gratia Prepositus Henricus Decanus totumque capitulum Ecclesie Padeburnensis honorabilibus viris Decano & Capitulo Mindensi salutem in Domino sempiternam. Emptionis contractum quem inijstis cum Ecclesia Scillestensi nostre Paderb. Dioc. de quibusdam possessionibus quas ab ecclesia memorata sicut in carta super hoc confecta plenius continetur, gratum habemus & ratum & super eadem ratihabitione nostras patentes litteras signatas sigillo Ecclesie nostre vobis duximus concedendas. Datum Padeburne Anno Domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo septimo feria sexta post Dominicam *Misericordia Domini &c.* (16. Apr.)

LVI.

LVI.

SVPER DECIMA IN OLDENDORPE.

Otto Prepositus Ecclesie Mindensis omnibus hoc scriptum visuris ad perpetuam rei memoriam. Vt negotia presentis etatis ad future posteritatis noticiam certiora perveniant, litterarum solent memorie commendari. sane ad noticiam universorum cupimus pervenire quod nos Decimam in *Oldendborpe* parochie *Millingebusen* que quasi contractu emphiteotico locari sive concedi consuevit alijs sub censu annuo ut emphiteota quicunque foret ille Dominis nostris Capitulo Mindensi daret dimidiam marcam ad Oblatas in cena Domini *) in

*) Feria V. hebdomadæ sanctæ, peracto officio matutino hujus diei in memoriam Christi salvatoris nostri pedes discipulorum lavantis eosdemque sanctissimo corpore et sanguine suo pascentis conveniebant Ecclesiarum Præpositi cum Canonicis et Vicarijs in aula quadam vel Refectorio ad lotionem pedum et distributionem oblatarum. Sacra hæc cerimonia pluribus in Ecclesijs adhuc obtinet, subin etiam *Mandatum Domini* dicitur, eo quod chorus illud Christi ibidem cantet : *Mandatum novum do vobis &c.* de hoc more *S. Augustinus ep. 119. c. 18. Chilienus Monachus in vita S. Brigidæ cap. 2.* Proxima cœna fuit Domini, qua sancta solebat Mandatum Christi calido complere lavacro. Synodus Aquisgran. can. 20. In cœna Domini pedes Fratrum post Mandatum Abbas lavet et osculetur. *Oblata* nomen datum pani tenuissimo ex farina et aqua confecto ad ignem ferreis prælis tosto. gallis vulgo oblée et oblie.

in Refectorio ficut confuetudinis eft antique inter ipfos Dominos dividendas memoratis Dominis Capitulo Mindenfi vendidimus pro fedecim marcis Bremenfis argenti cenfu tamen dicto fuperius eandem decimam comitante, videlicet ut ipfum Capitulum vel ille quem ad hoc ordinaverit fupradictam dimidiam marcam ad oblatas in cena Domini miniftrare debebit in Refectorio ficut fuperius eft pretactum, & ad evidentiffimam hujus rei certitudinem figillum noftrum prefentibus duximus appendendum. Datum in Vigilia Penthecoftes Anno Domini Millefimo Ducentefimo feptuagefimo feptimo. (15. Maji.)

LVII.

SVPER DECIMA IN WERDEREN.

V*olcwinus* Dei gratia Mindenfis Ecclefie Electus & Confirmatus omnibus Chrifti fidelibus ad quod prefens fcriptum pervenerit falutem in omnium falvatore. Cum expediens & utile videatur ut res digne memoria in fcripta publica & autentica redigantur, notum effe Cupimus univerfis, quod nos proprietatem tam majoris decime in *Werdere* quam minute fite in parochia *Hemenhufen* quam decimam *Willebrandus* dictus *Blome* & fui heredes deinde *Barwardus* de *Hemenhufen* a nobis in pheodo tenuerant, fed refignarunt eandem Capitulo noftre Mindenfis Ecclefie liberaliter contulimus & conferimus per prefentes. Ne quis igitur hanc col-

collationem nostram motu liberalitatis & affectus factam presumat imposterum aut valeat violare, hoc scriptum super ea confectum sigilli nostri dedimus appendiculo roboratum. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo septimo quarto nonas Junij. (2. Junij.)

LVIII.

SVPER DVABVS CVRIIS IN LODE.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis Amen. *Volquinus* Dei gratia electus & confirmatus. *Otto de Welepa* Prepositus. *Gerhardus* Decanus & Capitulum Ecclesie Mindensis Universis Christi fidelibus audituris seu intuentibus presens scriptum salutem in Domino sempiternam. Cum omnis venditor emptori possessionis sive rei cujuslibet precavere merito teneatur, ut emptio rata permaneat & emptor securus existat, *) hujusmodi securitatem personis claustralibus maxime feminis simplicibus exhiberi convenit & prestari. Notum igitur omnibus hominibus, quod cum olim due curie apud Lodhen site in loco qui dicitur Mersch diversis temporibus diversis personis obligate fuissent, tandem propter debitorum onera relevanda quibus ecclesia nostra pressa fuit, dicte curie cum omnibus attinentijs suis sub spe recuperationis a nobis vendite sunt pro marcis tantummodo nonaginta, quarum alteram nos Decanus & Capitulum Min-

*) Evictionem præstare.

Mindenſe pro XXX marcis emptam tenuimus. Alteram vero Decanus & capitulum ſancti *Martini* marcis comparaverant ſexaginta. Imminebat autem nobis poſtmodum major neceſſitas, ita ut alias poſſeſſiones utiles eccleſie noſtre vel obligare pro debitis vel omnino vendere cogeremur. Çumque nec vaſa nobis ſuperflua nec immobilia bona ſupereſſent, quibus venditis diverſis creditoribus poſſemus ſatisfacere competentèr, multa deliberatione prehabita communi conſenſu & unanimi voluntate prefatas duas curias noſtras, quarum tunc una deſerta fuit, cum agris pratis ſilvis & omnibus attinentijs ſuis religioſis ac devotis puellis Prioriſſe ac Conventui ſororum incluſarum *) in *Lodben* noſtre dyoceſis fratrum Predicatorum habitum & inſtituta ſervantium vendidimus pro marcis centum & octoginta Bremenſis argenti, dictis ſororibus nobiſcum in hoc convenientibus quod usque ad annos centum & infra noſtris denarijs, ut ad menſam Epiſcopi, vel ad uſus noſtri Capituli redeant, quolibet anno easdem curias eodem pretio per modum & formam emptionis, non redemptionis cum vera ſit & legalis emptio, non obligatio, recuperare poſſimus, ita quod pretium hujus-

*) Incluſi, recluſi, incluſæ dicuntur monachi aut ſanctimoniales, qui aut prope vicos vel cœnobia aut etiam in ipſis monaſterijs in ſingulares cellas, ex ijs non éxituri vel exituræ, vitæ ſolitariæ, quam alias conſequi non licet, intuitu ſeſe recludi faciunt, ut Deo animæque ſaluti ſolummodo vacent. De recluſis paſſim ſcriptores Monaſtici.

hujusmodi totum simul dicto sororum conventui ante festum vel in festo *Barnabe* Apostoli persolvatur. Adhuc quia per talem mutationem alienationis antique Ecclesie nostre conditio multo melior est effecta, nos bona pro bonis reddere cupientes, in hoc promittimus instrumento, quod nullos emptores alios in emendo curias ipsas dictis sororibus preferemus, Totale namque dominium & jus quod in ipsis habuimus, in conventum transferimus antedictum, eumque defensabimus ut tenemur, si quisquam Episcopus prelatus aut concanonicus noster super emptione tali vellet ipsi conventui questionem movere quousque prelibatus annorum numerus sit completus. In cujus rei testimonium presens scriptum exinde confectum nostris scilicet Electi & Capituli Mindensis nec non sororum in *Lodben* sigillis fecimus communiri. Hujus rei testes sunt. *Otto* Prepositus. *Gerhardus* Decanus, *Volquinus* Scolasticus, *Arnoldus* Thesaurarius, *Jordanus* Cellerarius, *Widego* Prepositus sancti *Martini*, *Conradus* Prepositus sancti *Johannis*, *Bruno*, *Johannes de Bucka*, *Albertus Spric*, *Reynardus de Slon*, *Gerhardus de Hervordia*, *Gerhardus de Bastorpe*, *Johannes de Sconenberge*, *Ludwicus de Ravensbergen*, *Arnoldus Knicge*, *Bernardus de Rostorpe Henricus de Hoya* & *Harbertus de Mandeslo* Canonici Mindenses. frater *Johannes* supprior & frater *Johannes* dictus *Sapiens* de domo fratrum Predicatorum. Frater *Baldwinus* & frater *Fredericus* conversi de *Lodben*. *Richardus* parvus miles. *Henricus de Nienburg* civis in *Minda*. Da-

tum

tum & Actum *Minde* in Capitulo Majoris Ecclesie Anno Domini M°CC°LXX. septimo. In die beati *Barnabe* Apostoli. (11. Junij.)

LIX.

SVPER DECIMA IN GOVELDE.

V*olquinus* Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod felicis recordationis Reverendo Patre *Ottone* predecessore nostro in arcto constituto propter destructionem Castri in *Ryneberge* que tunc temporis per incendium facta fuit, coactus erat idem predecessor noster pro reparatione ipsius Castri decimam in *Govelde* ad Episcopalem ipsius mensam pertinentem *Conrado de Luttern* bone memorie militi tunc temporis Dapifero Ecclesie nostre Mindensis pro viginti quatuor marcis Bremensis argenti de consensu capituli titulo pignoris obligare, que decima procedente tempore per eundem militem in *justatium de Eckersten* laycum per contractum alium est translata, nos vero ut eadem decima de manu layci redimatur ratificando consentimus ut dilecti in Christo Decanus & Capitulum Ecclesie nostre majoris Mindensis predictam decimam liberent a memorato *justacio* pro viginti quatuor marcis Bremensis argenti pro quibus in principio ut prètactum est fuerat obligata, & concedimus dictis Decano & Capitulo ut eandem decimam in perpetuum possi-

 deant

deant pro eadem quantitate pecunie quaſi titulo emptionis proprietatem ipſius decime donantes eisdem volentes ut poſſint, ſi opus habuerint, eandem decimam impignorare alijs & ipſa decima tanquam re ſua in omnibus ſuis neceſſitatibus & utilitatibus uti frui, hoc tamen ſalvo quod ſi nos vel ſucceſſores noſtros ad pinguiorem fortunam volente Domino contingeret pervenire, ipſam decimam ab eisdem Decano & Capitulo poſſimus reemere pro ſupradicta pecunie quantitate, & ut iſta firmitatem habeant preſens ſcriptum ſigilli noſtri duximus munimine roborandum. Datum in Craſtino beati *Jacobi* Apoſtoli Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

(26. Jul.)

LX.

VILLICATIO WYGRAVII.

V*olquinus* Dei gratia Mindenſis Eccleſie Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris notum facimus quod nos a dilectis in Chriſto Capitulo noſtro Mindenſi recepimus mutuo ducentas marcas Bremenſis argenti & redditus noſtros ſingulis annis nobis ſolvendos a villicatione Wyggravij titulo pignoris eisdem obligavimus tollendos anno quolibet donec ſortem ſuam ſine diminucione recipiant ab eisdem, Dum tamen *Rabodoni de Oſleten* famulo decem & octo marce que ipſi in eadem villica-

licatione assignate sunt, de memoratis redditibus persolvantur & preter festivales redditus quos nobis duximus reservandos, si vero predictam villicationem per mortem resignationem permutationem venditionem vel per quemcunque casum ad manus nostras a Wygravio contingeret devenire, nolumus predictos Capitulum nostrum in suo defraudari mutuo & obsequio nobis facto, sed promittimus eisdem quod si sic disponente Domino eveniret, possessiones aliquas sive bona de memorata villicatione deberemus tam diu obligare eisdem donec sortem suam de predictis possessionibus & bonis tollerent cum dampnis & interesse integraliter sine fraude exigentibus etiam & petentibus a nobis sepedictis Capitulo nostro ut ipsius & nostre indempnitati consuleretur Ecclesie fide data promisimus eisdem quod memoratam villicationem nullo modo alienare debemus quocumque nomine alienatio censeri debeat quacumque necessitate coacti, ut ad usus Episcopalis mense, si eam vacare contingat eadem villicatio reservetur, promittendo insuper adicimus supra dictis quod decimam in Govelde recuperare ab ipsis non possumus & transferre ad manus alias pendente contractu mutui supradicto, ipsam tamen ad nostram Episcopalem mensam redimere possumus quando placet. Datum feria quarta post *Invocavit* Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo.

(9. Mart.)

LXI.

LXI.

SVPER MOLENDINO ET CERTIS BONIS IN HILLEWARDINGDORPE.

Volquinus Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris cognoscere veritatem. Orta inter Dominum *Brunonem* de *Spenthoue* Canonicum Mindensem ex una parte & *Hogerum de Sterenberge* nobilem ex altera materia questionis super bonis possessionibus molendino pascuis nemoribus & alijs accessorijs eorundem sitis in villa *Hilleuuardingsdorpe* Padeburnensis Dyoc. que pertinere noscuntur ad quandam obedientiam sive custodiam in Mindensi Ecclesia, dicente supradicto Domino *Brunone* obedientiario sive custode bonorum predictorum, quod memoratus *Hogerus* nobilis emphiteota bonorum eorumdem jus quod habuerat in illis perdidisset eo quod in solutione canonis per plures annos negligenter cessasset. Mediantibus igitur honorabilibus viris Conrado Decano. *Arnoldo* Thesaurario & *Bernardo* de *Rostorpe* Canonicis Mindensibus ad hoc compositoribus amicabilibus ordinatis talis compositio intervenit ut sepe dicto Domino *Brunoni* Obedientiario duo talenta darentur ab antedicto nobili pro subtractis & quandocunque amodo in sequenti die *Michaelis* ad supradictam obedientiam non persolveret tres solidos & dimidium gravium denariorum vel septem solidos leves equivalentes eisdem, sepedicta bona cum omnibus juribus & pertinentijs suis libere ad antedictam obedientiam ipso facto & jure rever-

revertantur emphiteote in ipsis nichil juris amplius remanente. Hec in nostra presentia a predictis compositoribus ordinata sunt & de consensu partium publicata & ad evidentissimam hujus rei certitudinem scriptum presens super hoc confectum est & nostri compositorum predictorum & ipsius *Hoggeri de Sterrenberge* nobilis Emphiteote muniminibus roboratum. Datum & Actum *Minde* In die *Philippi & Jacobi* Apostolorum. Anno Domini M°. CC°. LXXVIIII°. (1. Maji.)

LXII.

SVPER DECIMA IN HALEDVM.

V*olquinus* Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus ad quos presens scriptum pervenerit salutem in Domino sempiternam. Ne de rebus gestis oriatur materia questionis hominum consuevit industria eas in lingua testium reponere seu scripture testimonio perhennare, hinc est quod tam presentes quam posteri nosse debent quod nos *Brunoni* dicto de *Gretizch* & *Grete* uxori sue nec non *Johanni* filio eorumdem de unanimi consilio nostri Capituli & consensu fructus decime in *Haledum* cum omni utilitate ejus ad tempora vite eorum vendidimus pacifice possidendos, hijs vero tribus personis jam predictis viam universe carnis ingressis & non prius fructus ejusdem decime ad usus mense nostre libere revertentur, nec heredes hominum prefatorum post mortem eorum sibi jus

aliquod in dicta decima debebunt aut poterunt vendicare. In cujus rei teftimonium prefens fcriptum dedimus figillis noftro & Capituli roboratum. Actum & Datum *Minde* Anno Dñi Millefimo ducentefimo feptuagefimo octavo Id. Maji prefentibus Dño *Gherardo* Decano Ecclefie noftre *Conrado* Prepofito fancti *Johannis* Domino *Wytbegone* Prepofito fancti *Martini Arnoldo* Thefaurario Ecclefie noftre *Hermanno* plebano de *Lutbeke Artufio* Capellano noftro *Syfrido* Notario noftro *Gherardo* Lufco & *Wernero de Negbenborn* militibus *Marquardo de Offieten Juftacio de Haddenhufen Thiderico de Redbe Ottone Trepel* & pluribus alijs tam clericis quam laicis fide dignis. (15. Maij.)

LXIII.

DONATIO CLAVSTRO IN LODHE FACTA.

L*udolfus* Dei gratia Comes de *Rodben* Omnibus prefentia vifuris falutem in Domino fempiternam. Noverint univerfi quod nos cum perfecto heredum noftrorum confenfu ob falutem noftri ac omnium noftrorum familiarium quicquid juris habemus vel habuimus in domo quadam in villa *Bodbendborpe* fita quam domum *Thidericus* dictus de *Uffen* miles a nobis tenebat contulimus clauftro in *Lodhen* liberaliter & folute, & hoc ad majorem hujus facti certitudinem noftri figilli munimine declaramus. Datum Anno Domini Millefimo Ducente-

centesimo septuagesimo octavo in Vigilia Apostolorum *Symonis* & *Jude*. (27. Oct.)

LXIV.

SVPER CERTOS REDDITVS IN VILLA BORDEREN.

Volquinus Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris salutem in Domino sempiternam. Cum hominum memoria sit fragilis & caduca saluberrime est inventum, ut res geste ne per decursum temporis a memoria excidant in scripta publica & autentica reponantur, sane ad omnium notitiam tam posterorum quam presentium cupimus pervenire, quod constituti coram nobis *Godescalcus* & *Arnoldus* fratres de *Bordere* bona sive possessiones suas minutam videlicet decimam & censum regum qui vulgariter coningestyns *) nuncupatur que bona ijdem fratres in eadem villa *Bordere* a nobis & a nostra Ecclesia Mindensi tenebant in feodo Abbati & mona-

F 5 sterio

*) Coninges-tyns, Königs-Zinse, census Regis, annua præstatio modica. *Assert. libert. Bremens. pag.* 746. Ock Schall de Vaget van wegen des Könings gerechticheit, alle jahr up St. Martens dach by Sünnenschine den Köningetins entfangen, unde de den nicht uthgift by dem Sünnenschine, deme schall de tins duppelt upschlan, so vaken de Klocke schleit, de hane kreyet, de Wint weyet sünne unde maen, Ebbe unde flöet up unde dael geyt. confr. supra *nrus. XX.*

ſterio Schinnenſi ordinis ſancti *Benedicti* noſtre Dioc. pro quinquaginta quinque marcis Bremenſis argenti cum agris pratis paſcuis ſervitutibus juribus & pertinentijs omnibus eorundem uxoris ipſius G. ac legitimorum heredum ſuorum accedente conſenſu jusque feodi in manus noſtras voluntarie reſignarunt, cum autem proprietas bonorum predictorum ad nos & ad noſtram Eccleſiam pertineret proprietatesque poſſeſſionum quarumdam in villa *Holſtorpe* prope *Mandeslo* attineret Abbati & monaſterio Schinnenſi predictis nos de communi conſenſu Capituli noſtri permutationem fecimus de ipſis proprietatibus ita quidem ut proprietas bonorum videlicet in *Holſtorpe* apud nos & Eccleſiam noſtram, proprietas vero bonorum in *Bordere* ſex videlicet manſorum apud monaſterium Schinnenſe debeant deinceps juſto permutationis titulo in perpetuum remanere adjectis nobis & Eccleſie noſtre novem marcis a predicto monaſterio ad proprietatem equivalentiam compenſandam. ut igitur hujusmodi venditionis & permutationis contractus permaneat inconvulſus hoc ſcriptum inde confectum ſepedictis Abbati & Monaſterio Schinnenſi dedimus ſigillis preſentibus noſtro ſcilicet & noſtri Capituli roboratum. Hujus rei teſtes ſunt *Otto* Prepoſitus *Conradus* Decanus *Widego* Prepoſitus Sti *Martini Volquinus* Scolaſticus. *Arnoldus de Schinna* Theſaurarius *Luidolphus de Bardeleve* Canonici Eccleſie noſtre *Bernardus de Lo* nobilis *Rychardus vulpes Johannes* Camerarius *Hinricus & Florentius* fratres *de Dungerden Johannes de Borchuſen Johannes*

hannes Block, *Henricus Sprunck Conradus* & *Everardus de Holtbusen* nostre civitatis Burgenses & alij quam plures. Datum & Actum *Minde* Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo nono. Nonis Marcij Indictione septima. (7. Mart.)

LXV.

SVPER CVRIA HIDDINGHVSEN PERTINENTE CAPITVLO.

V*olquinus* Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris noticiam rei geste. Ne contractus qui fuerit in tempore per lapsum temporis a memorijs evanescant, consuevit eos humana industria litterarum apicibus eternare. Sane ad noticiam tam futurorum quam presencium cupimus pervenire, quod nos octo solidos qui nobis debebantur annis singulis de domo quadam que dicitur *Heddighusen* pro redemptione decime domus ipsius, quos quidem octo solidos tenetur exsolvere *Engelbertus Sadolpren* famulus de ipsa decima quam tenebat a nobis in feodum una cum proprietate decime ipsius, dilectis in Christo Capitulo Ecclesie nostre Mindensis majoris pro quatuor marcis vendidimus recipiendos ab ipsis in perpetuum & possidendos justo & legitimo emptionis & venditionis contractu. Idemque *Engelbertus* debitor octo solidorum predictorum ipsi Capitulo censum memoratum deinceps persolvat & ab ipsis tamquam a veris Dominis & proprietarijs feodū et investi-

veſtituram ipſius poſtulet & requirat. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſenti ſcripto duximus apponendum. Datum in Craſtino palmarum Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono. (27. Mart.)

LXVI.

SVPER BONIS IN MVNESLO PERTINENTIBVS THESAVRARIO.

Nos *Henricus* de *Homborch* publice proteſtamur quod uxor *Gherardi* de *Wynningenhuſen* coram nobis conſtituta bona in *Muneslo* honorabili viro Magiſtro *Arnoldo* Theſaurario Eccleſie Mindenſis libere & abſolute reſignavit ſicut etiam antea fecerat maritus ejusdem, Huic facto preſentes erant *Bernardus* Archidyaconus in *Oſen*, *Johannes* de *Rodenbagh*, *Albertus de Oldenborch* milites, *Thidericus de Swalenborg* & *Johannes Sten* Cives in *Hamelen* cum Domino *Henrico* plebano de *Borige* & alij quam plures. Actum in *Oldendorpe* coram caſtro *Homborch* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono die Dominica poſt octavam *Johannis Baptiſte*. (2. Jul.)

LXVII.

LXVII.

SVPER VILLA LANGENVELDE PERTINENTE EPISCOPO PRO IIS MANSIS IN HORSTEN PAROCHIE NEVDORPE PERTINENTIBVS AD ECCLESIAM SANCTI MARTINI.

V*olquinus* Dei gratia Epiſcopus *Otto* Prepoſitus *Conradus* Decanus totumque capitulum Mindenſis Eccleſie omnibus hanc litteram inſpecturis ſalutem in omni ſalutari. Cum hominum ſit vita brevis & memoria ſucceſſione temporis alteretur, dignum eſt ut quod rite agitur, ne ſurrepente calumpnia violetur ſcriptis & ſigillorum appenſionibus roboretur. Notum igitur facimus univerſis tam preſentibus quam futuris, quod nos de communi convenientia & conſenſu noſtri capituli proprietatem duorum manſorum ſitorum in *Horſten* in parochia *Neudorpe* noſtre Dioc. cum omnibus attinentijs ſuis agris, videlicet, aquis, paſcuis atque ſilvis, quas ad petitionem noſtram *Gherardus* Comes nobilis & filius ſuus *de Holtſatia* ſeu *Schowenborch* nobis reſignando per patentes ſuas litteras contulerunt eccleſie Sti *Martini* noſtre civitatis contulimus perpetuo poſſidendam, ipſum vero capitulum Sti *Martini* predictum in recompenſationem proprietatis ipſius proprietatem cujusdam ville que dicitur *Langenevelde* nobis contulit verſa vice. ut autem hec rata & in convulſa permaneant dedimus eis preſens ſcriptum inde confectum ſigillorum noſtrorum munimine roboratum. Datum

Anno

Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo nono sexta decima Kalend. Septembris. (17. Aug.)

LXVIII.

LITTERA CONSVLATVS SVPER RODENBEKE.

Johannes *Block Heinricus de Nienborch Hermannus de foro Godescalcus de alta platea Hermannus de Molenbeke Rodolphus de Lethelen, Bolte Conradus de Holthusen Heinricus Vogel Godescalcus Giseleri Hermannus de alta platea & Johannes Trissens* Consules Mindenses Omnibus hoc scriptum visuris salutem in omnium salvatore, ad hoc res gesta in scripto reponitur ut eadem jugi memorie commendetur, sane ad singulorum noticiam tam presencium quam futurorum cupimus pervenire, quod nos de communi consilio & consensu universitatis tale statutum seu decretum statuimus & ordinamus quod nullus ex parte nostra vel successorum nostrorum aliquod edificium sive structuram aliquam in loco qui dicitur *Rodenbeke* debet edificare quia idem locus cum omnibus pertinentijs suis debet esse communis nobis & Dominis Canonicis Mindensibus ad pascua jumentorum, & ne super hijs imposterum dubietas oriatur, presens scriptum inde confectum sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum Anno Domini M° CC° octogesimo, pridie Kalendas Junij. (31. Maji.)

LXIX.

LXIX.

SVPER DIMIDIETATE CVRIE IN GRESEBILLEN.

Omnibus hoc scriptum visuris. *Gerlagus* Abbas *Arnoldus* Prior & Conventus monasterij *de Insula* extra muros Mindenses salutem in Domino. Ut negotia presentis etatis ad future posteritatis noticiam certiora perveniant, litterarum solent memorie commendari, hinc est quod presentibus & futuris cupimus notum esse, quod nos propter necessitatem & utilitatem monasterij nostri medietatem curie in *Gresebille* honorabilibus viris *Conrado* Decano & Capitulo Ecclesie Majoris Mindensis qui in residua medietate ipsius curie consortes nostri fuerant vendidimus pro tredecim marcis Bremensis Argenti transferentes in eodem venditionis contractu in dictos Decanum & Capitulum proprietatem possessionem & quicquid juris sive in servitutibus sive in pascuis & nemoribus in memorata curia nos constitit habuisse. In cujus rei testimonium presentes litteras ipsis tradidimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum in *Divisione Apostolorum* Anno Domini Millesimo ducentesimo & octuagesimo. (15. Jul.)

LXX.

LXX.

SVPER OFFICIO WIGRAVII ET DE VILLICATIONE MANDESLO.

H*arbertus* ſenior *de Mandeslo* miles omnibus hoc ſcriptum viſuris noticiam rei geſte. Defuncto bone memorie *Florencio* milite Wigravio Mindenſi Ego pro me & pro meis juſtis heredibus utriusque ſexus maſculini videlicet & feminini Officium Wigravij pecij dicens illud ad me & meos heredes predictos jure hereditario pertinere, ſed Reverendo Patre & Domino *Volquino* Dei gratia Epiſcopo & Capitulo Mindenſi ſe michi & meis heredibus opponentibus & propter hoc ſuſcitata inter nos materia queſtionis cum per dies aliquot inter nos fuiſſet ſimultas tandem de proborum virorum conſilio acceſſit compoſitio in hunc modum, Ego quippe & mei heredes, ſicut predictum eſt, ſexus utriusque maſculini videlicet & feminini pro nobis & heredum noſtrorum heredibus in perpetuam renuntiavimus & renuntiamus officio ſupradicto & omnem actionem remittimus que nobis competere videbatur in illo, ſed Reverendus Pater & Dominus predictus Epiſcopus de conſenſu & voluntate ſui Capituli pro hujusmodi renuntiationis compenſa omnia bona que in pheodo tenebantur & Wygravio defuncto michi & heredibus meis jure pheodali contulit & vaſallos eorumdem bonorum ad me & meos heredes transmiſit pro homagio & fidelitate tamquam ſuis Dominis exhibendis Item villicationes in Mandeslo & Idenhuſen michi & meis

meis heredibus in pheodum contulit hoc adjecto quod sibi vel suis imposterum successoribus easdem villicaciones reemere liceat pro trecentis & quadraginta mareis Bremensis argenti, qua persoluta pecunia villicatio in Idenhusen sine condicione qualibet cum omni jure libere ad mensam redibit Episcopi, sed in *Mandeslo* retinebimus officium villici quod in nos a progenitoribus nostris jure pervenit hereditario omnibus alijs pensionibus servitutibus & quibuscunque redditibus, quos Mindenses Episcopi consueverunt habere in illa sine contradictione qualibet devolutis ad ipsos, preterea michi vel alicui ex meis heredibus singulari semper persone in novo Castro Castrensis assignabitur curia & dabuntur michi vel heredi meo residenti annuatim decem marcarum redditus pro castrensi ita tamen quod si heres meus ministerialis Ecclesie Mindensis fuerit & personaliter voluerit residere, si vero status condicionis ipsius mei heredis mutatus fuerit videlicet quod non sit ministerialis Ecclesie Mindensis vel si ministerialis fuerit attamen in novo Castro residenciam noluerit facere personalem, assignacio curie ac Castrensis concessio totaliter evanescet, quin ymo ego vel heres meus residens servitia consueta sicut alij Castellani exhibebimus Domino nostro Episcopo ac Ecclesie Mindensi, nec plus juris vendicabimus in predicto castro quam constat alios Castellanos & ministeriales habere. In cujus rei testimonium hoc scriptum sigillis nobilis viri Comitis de *Welepa Ottonis* Prepositi Mindensis fratris sui meo & *Burc-*

bardi de Cramme ego & mei filij procuravimus ſigillari. Teſtes hujus rei ſunt *Burchardus Comes de Welepa* & *Hermannus* & *Rodolphus* fratres Canonici ſancti *Martini* Mindenſis *Rychardus vulpes Henricus de Dungherden Johannes* Camerarius *Johannes de Barchuſen Johannes* dictus *Came* milites *Marcwardus de Offleten* famulus & quam plures alij tam clerici quam layci fide digni. Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo pridie nonas Auguſti. (4. Aug.)

LXXI.

SVPER VNVM MANSVM APVD VILLAM ENGERN.

Arnoldus Theſaurarius Eccleſie Mindenſis omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino. Noveritis quod nos manſum unum ad luminaria Eccleſie noſtre pertinentem ſitum apud villam *Engern* qui a predeceſſore noſtro bone memorie quondam *Heinrico* Theſaurario jure emphiteotico tenebatur *Heinrico de Borſtele* Civi Rinthelenſi eodem jure prout tenebatur poſſidendum contulimus ſub hoc pacto quod ipſe in Nativitate beate *Marie* Virginis ad luminaria in Eccleſia noſtra predicta exſolvat quatuor Mindenſes ſolidos annuatim alioquin predictus manſus ipſo facto ſine contradictione qualibet nobis vacet. In cujus rei teſtimonium prefatum *Heinricum* preſenti ſcripto ſigilli noſtri appenſione duximus muniendum. Hujus rei teſtes

ſunt

ſunt *Conradus* Decanus, *Wydego* Prepoſitus ſancti *Martini Gherardus de Molandino* Eccleſie noſtre Canonici *Henricus de Dingerden Tedericus de Helbeke Gherardus Lode* milites. *Hermannus de Foro Conradus de Holthem. Johannes de Alta platea Stephanus* Cives Mindenſes & alij quam plures. Datum *Minde* Anno Dñi Milleſimo Ducenteſimo octuageſimo primo nonas Junij. (5. Jun.)

LXXII.

SVPER CERTIS LITONIBVS REEMENDIS A MONASTERIO LOCKEN.

G*erhardus* nobilis advocatus *de Monte* omnibus auditturis preſencia vel viſuris in vero ſalutari ſalutem. Notum facio Chriſti fidelibus univerſis quod homines meos in bonis *Valchuſen* & *Gorbrachcoſſen* reſidentes, que Abbas & Conventus Monaſterij in *Locka* juſte emptionis titulo a me legitime comparavit dimiſi ipſis pro viginti marcis quiete & libere poſſidendos, quos pro eisdem denarijs poſſum recipere quando volo, de quibus Abbati & Conventui memoratis plenam in hijs ſcriptis facio & faciam cum requiſierint vel indiguerint, Warandias. *) Datum *Vlotowe* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo Die *Coſme & Damiani.* (27. Sept.)

*) Faciam Warandias, garandias, garantie Gall. id eſt cavebo de evictione præſtanda.

LXXIII.

RECOGNITIO CAPITVLI S^ti JOHANNIS SVPER DECIMIS IN EYDINGHVSEN, WERSTE ET ELFERVNGHVSEN ET VNIUS MANSI IN WERSTE REDIMENDIS PER EPISCOPVM.

Omnibus hoc fcriptum vifuris Capitulum Ecclefie fancti *Johannis* in *Minda* falutem in Domino fempiternam. Notum facimus univerfis, quod ad emptionem bonorum quam fecimus erga Dominum noftrum Epifcopum *Volquinum* fcilicet decime in *Eydinghufen Werfte* & *Elferunghufen* & unius manfi in *Werfte Bothardus* civis Mindenfis nobis dedit medietatem precij videlicet quinquaginta marcas Bremenfis argenti fub tali conditione ut ipfe *B.* & uxor fua *Gisla* & tres eorum filij *Rothardus* plebanus in *Lerbeke Lambertus* clericus, *Marquardus* laycus medietatem reddituum predictorum bonorum five in frumento five in alijs fructibus quibuslibet exinde provenientibus participent annuatim, poft deceffum vero illorum omnium quinque perfonarum bona predicta apud Ecclefiam noftram integraliter permanebunt. Preterea ordinatum eft, ut fi Dñum Epifcopum memorata bona reemere contingat, prout in inftrumento noftro fuper hoc edito continetur, pecunia apud Ecclefiam noftram remanebit integra quousque eam pro alijs bonis cum Confilio eorum locaverimus, de quibus medietatem reddituum recipiemus, pro parte noftra, ipfi vero medietatem aliam pro fua

ficut

ſicut in bonis prediƈtis extitit ordinatum. Ut autem hec rata & inconvulſa permaneant preſens ſcriptum Eccleſie noſtre ſigillo fecimus communiri. Datum Anno Domini Milleſimo ducenteſimo oƈtuageſimo primo.

LXXIV.

SVPER ADVOCATIA CVRTIS IN RORDESSEN ET VNA DOMO CVM MOLENDINO IN BEDEBERN SPECTANTE AD OBEDIENTIARIVM IN LVDTINGENBREMEN.

V*olquinus* Dei gratia Mindenſis Eccleſie Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Ne lucem veritatis obſcurent emergentes calumpnie, & que geruntur in tempore ne per olivionem impoſterum obfuſcentur conſuevit humana induſtria a litterarum peritis roborari. Sane conſtitutus in noſtra preſentia *Ludowicus* miles, diƈtus *Poſt* advocatiam curtis in *Rordeſſen* cum una domo in *Bedebern* molendino areis & cum omnibus alijs ſuis pertinentijs quam a nobis tenebat in pheodo in manus noſtras libere reſignavit, receptis a Magiſtro *Arnoldo* obedientiario in *Ludtingenbremen* ad quam diƈta curtis pertinet, ſex marcis Bremenſis argenti qua reſignatione accepta eandem advocatiam cum omnibus attinentijs ſupradiƈtis ad preces & inſtantiam dileƈti noſtri Magiſtri *Arnoldi* de *Schynna* Theſaurarij Ec-

clesie nostre Mindensis predicti & obedientiarij in *Ludtingenbremen* de consensu totius Capituli nostri contulimus in perpetuum possidendam, ita quidem ut prefatus obedientiarius & quicunque pro tempore fuerit, disponere ipsam advocatiam libere valeat & ipsius fructibus cum omnibus pertinentijs suis gaudere perpetuo pacifice & quiete. In cujus rei testimonium presens scriptum sigillis nostro videlicet & Ecclesie nostre fecimus roborari. Hujus rei testes sunt frater *Wilbelmus* de Domo Theutonica, *Wilbelmus de Holthe* & filius suus *Adolphus de Holte Conradus de Brocke Johannes de Bardleve*, *Johannes Camerarius Rychardus vulpes Henricus de Dungberden* milites & alij quam plures. Datum & Actum *Minde* Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo Kal. Martij.

(1. Mart.)

LXXV.

SVPER DECIMA IN GOVELDE ET CERTIS ALIIS BONIS PERTINENTIBVS AD OFFICIVM WIGRAVII.

Volquinus Dei gratia Mindensis Episcopus Omnibus ad quos hoc scriptum pervenerit salutem in Domino. Noverint universi quod nos de consensu Capituli nostri decimam in *Brase* quondam ad prepositaram Ecclesie sancti *Johannis* pertinentem de consensu *Conradi* ejusdem ecclesie Prepositi conventui *de Lacu* sancte *Marie* libere donavimus

mus in perpetuum possidendam, dictus autem conventus in recompensam dedit dicto preposito sexaginta marcas ut indempnitati prefate Ecclesie consuleret quantum posset, de quibus sexaginta marcis idem Prepositus recepit viginti quatuor marcas & decimam in Govelde de manu laycali redemit, residuam autem pecuniam in redemptionem villicationis Wygravij expendit. Nos itaque de voluntate & consensu Capituli nostri Ecclesiam sancti Johannis sepedictam indempnem reddere cupientes prefatam decimam in *Govelde* donamus predicte Ecclesie pacifice possidendam, hoc tamen adjecto moderamine ut quandocunque nos vel aliquis de successoribus nostris dederimus quinquaginta quinque marcas per modum reemptionis recuperare poterimus decimam in Govelde sepedictam. In cujus rei testimonium hoc scriptum sigillis nostro & nostre ecclesie est munitum. Hujus rei testes sunt *Otto* Prepositus *Widego* Prepositus sancti *Martini*, *Arnoldus* Thesaurarius, *Arnoldus* Cellerarius *Volquinus* Scholasticus *Hartbertus* de *Mandeslo Ludolphus* de *Bardeleve* Mindensis Ecclesie Canonici & alij quam plures. Datum & actum *Minde* Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo sexta decima Kalendas Aprilis.

(17. Mart.)

LXXVI.

SVPER VNA CVRIA IN MVNSLE ET OCTO MANSIS IN STOCHEM PAROCHIE WALICHEN DATIS EPISCOPO ET ECCLESIE, PROVT IN LITTERIS.

Bernardus Dei gratia nobilis dictus *de Lo* omnibus ad quos hoc scriptum pervenerit salutem. Noverint universi quod nos de consensu *Ottonis* fratris nostri ac omnium heredum ac coheredum nostrorum proprietatem curie nostre in *Muneslc* cum omnibus attinentijs suis & proprietatem octo mansorum sitorum in villa *Stochem* in parochia *Walige* cum omnibus attinentijs suis videlicet areis, aquis, pratis, pascuis & nemoribus, vijs & invijs venerabili Domino *Volquino* Mindensi Episcopo & Ecclesie sue libere donavimus & donamus presentium testimonio litterarum & dicta bona in feodo recepimus ab eodem. In cujus rei testimonium presens scriptum sigillorum nostrorum munimine est firmatum. Datum *Minde* Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo. Decimo Kalendas Aprilis. (23. Mart.)

LXXVII.

SVPER CERTIS BONIS HIC DESCRIPTIS.

Ego *Engelbertus* junior Comes de *Everstene* cupio notum esse tam presentibus quam futuris quibus

bus hoc ſcriptum contingerit audiendum, Patrem meum Comitem *Conradum* de *Everſtene* cum voluntate mea decimam in *Branenvorde* cum omni proventu jure proprietate conventui in *Amelingsborn* perpetuo poſſidendam vendidiſſe & cum ipſum conventum in eadem proprietate certificare non poſſet eo quod ad Eccleſiam Mindenſem pertineret eidem Eccleſie Mindenſi propria bona ſua ſubſcripta aſſignavit ut ex permiſſione ipſius Eccleſie jam dictus conventus nullum in hac parte pateretur detrimentum videlicet in *Grubenhagen* viginti ſex manſos, in *Unlidhegenvelde* decem & octo manſos, in *Swickere* decem manſos in *Bercke* duos manſos, hec autem bona nos vel noſtri heredes a prefata Mindenſi Eccleſia nobis porrecta jure poſſidebimus pheodali. Et quod hec pretaxata rata ſim habiturus, preſenti littera ſigillo meo communita duxi publice proteſtandum. Teſtes hujus rei ſunt Dominus Abbas *Mauricius Fredericus* Camerarius *Johannes* infirmarius monachi Cognatus meus Comes *Otto de Everſten*, *Conradus de Luthardeſſen Bartoldus de Elmeringhuſen-Albertus* dictus *Buſch* milites *Henricus de Buffes Heinricus de Wenechuſen*, *Everhardus de Nygenkerken* famuli, inſuper ſtrenui milites Dominus *Ludowicus* dictus *Poſch* & Dominus *Willikinus de Holt* hec fide manuali roborarunt. Actum Anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo. Sexto Idus Aprilis.

(8. Apr.)

LXXVIII.

SVPER REDDITVS TRIVM TALENTORVM.

Volquinus Dei gratia Mindensis Episcopus universis quibus hoc scriptum pervenerit noticiam rei geste, Tenore presencium recognoscendo publice protestamur, quod dilecti nostri Decanus & Capitulum Ecclesie nostre trium talentorum redditus per venerabilem Dominam Abbatissam *Molenbecensis* Ecclesie in festo *Dyonisii* annis singulis exsolvendos de manu laycali datis viginti marcis Bremensis argenti cum nostro consensu & beneplacito redemerunt pacifice possidendos, donec nos aut aliquis successorum nostrorum restituimus pecuniam supra scriptam & tunc prefati redditus nostri absolute ad nos ac libere revertentur. In cujus rei testimonium hoc scriptum sigillo nostro dedimus roboratum. Datum *Minde* Anno Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo secundo octavo Kalendas Septembris. (25. Aug.)

LXXIX.

SVPER CVRIA IN WVLBEKE.

Honorabilibus Dominis suis *Ottoni* Preposito *Conrado* Decano & Capitulo Mindensi soror *Johanna* humilis Priorissa & conventus sororum inclusarum *) in *Lodben* orationum munuscula devo-

*) vide supra nrum LVIII.

votarum. Permutationem quorumdam prediorum vobiscum factam gratanter & hilariter acceptantes domum unam in *Wulbeke* cum agris pratis & omnibus ad eam pertinentibus quam hactenus a nobis *Rodolphus* dictus *Croich* jure feodali tenuerat in Ecclesiam vestram transferimus ut de manu vestra *O.* Domine Preposite teneatur, recipimus autem a vobis e converso domum unam in Wrilodhe cum agris suis & pratis & omnibus ad eam pertinentibus quam de manu Prepositi Mindensis Johannes & Godescalcus milites dicti Selekopp in feodo tenuerunt. Vt igitur hujusmodi mutatio rata semper & inconvulsa permaneat presens scriptum inde confectum sigillo nostri conventus fecimus communiri. Datum *Lodben* Anno Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo secundo secunda Kal. Septembris. (31. Aug.)

LXXX.

SVPER BONIS IN GRVBINHAGEN &c.

Conradus Dei gratia Comes de *Everſten* universis ad quos presens scriptum pervenerit notitiam rei geste tenore presencium recognoscimus publice protestantes quod nos habito consensu filiorum nostrorum videlicet *Engelberti Conradi Alberti* & *Widekindi* & legitimorum heredum nostrorum proprietatem viginti sex mansorum in *Grubinhagen* sitorum & proprietatem decem & octo mansorum in *Vulideginvelde* ac decem mansorum in *Swickere*

ac

ac duorum manſorum in *Berkele* cum omni jure & proventu ipſorum eccleſie Mindenſi reliquerimus in perpetuum pacifice poſſidendam in recompenſam proprietatis decime in *Bredenvorde* quam monaſterio in *Amelungesborn* Ciſtercienſis ordinis Hildeſemenſis Dioceſis cum omnibus attinentijs ſuis ac proprietatem duorum manſorum in *Wabeke* Venerabilis Dñus *Volquinus* Mindenſis Epiſcopus de Conſilio & unanimi conſenſu ſui Capituli perpetuo poſſidendam contulit & donavit. Ne igitur ſuper eo impoſterum dubium aliquod oriatur preſens ſcriptum ſigillis noſtro ac *Engilberti* filij noſtri dedimus roboratum. Hujus rei teſtes ſunt *Wilhelmus* nobilis *de Holthe* & filius ſuus *Adolphus* & *Ludowicus* dictus *Poſch.* Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo octuageſimo ſecundo.

LXXXI.

SVPER TRIBVS MANSIS APVD BASTORPE.

Volquinus Dei gratia Mindenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum intuentibus eternam in Domino ſalutem. Quia memoria hominum labilis eſt expedit ut id quod agitur ſcripti memorie commendetur. Noverint igitur omnes tam preſentes quam futuri, quod nos proprietatem trium manſorum ſitorum extra muros Mindenſes apud *Baſtorpe* & proprietatem unius manſi ſiti in *Merſcha* apud *Hasle* contulimus Capitulo noſtro Mindenſi volun-

voluntate & consensu omnium accedente. In cujus rei testimonium presens scriptum inde confectum sigillis nostro videlicet & Capituli est munitum. Datum & Actum Anno Dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, sexto Kalendas Julij. (26. Jun.)

LXXXII.

SVPER DECIMA IN WENEMESSE.

Conradus Decanus & Capitulum Ecclesie Mindensis omnibus hoc scriptum visuris salutem in salutis auctore. Cum res gesta commendetur litteris, universa calumpnie prevenitur materia ne prestetur litis occasio successori. Sane ad noticiam universorum futurorum & presencium cupimus pervenire, quod cum nos vellemus recuperare bona nostra in Colete que pignori fuerant obligata decimam nostram in *Wenemesse* pertinentem ad obedientiam *Wascborst Alberto Corthelangen* layco & *Hilleburgi* uxori ipsius cum omnibus attinentijs ipsi decime vendidimus pro triginta marcis Bremensis argenti quoad vixerint possidendam & cum alterum eorundem conjugum ab hac vita migrare contingerit superstes nichilominus predictam decimam cum suis attinentijs quoad vixerit integraliter possidebit, & post decessum utriusque predicta decima ad obedientiam *Wascborst* tanquam ad suum originale unde sumpta fuerat libere & sine cujusquam contradictione redibit, predictas etiam trigin-

triginta marcas in utilitatem noſtre Eccleſie id eſt in redemptionem predictorum bonorum noſtrorum in *Colete* recognoſcimus eſſe converſas, Preterea damus eis fraternitatem ut dum deceſſerint, ſcribantur eorum nomina inter noſtros confratres & peragatur ipſorum memoria in Anniverſarijs eorumdem. *) Datum *Minde* Anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo tercio.

LXXXIII.

SVPER CVRIA ET TRIBVS MANSIS IN BASTORPE.

Otto Prepoſitus C. Decanus V. Scholaſticus totumque Capitulum Eccleſie Mindenſis omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Quoniam hominum memoria labilis eſt, idcirco dignum eſt, ut ea que aguntur in tempore, ne labantur cum tempore ſcriptis & proborum virorum teſtimonijs perhennentur, hinc eſt quod notum facimus univerſis quod *Rotbardus* civis Mindenſis pio Zelo ductus curiam quandam in *Baſtorpe* cum tribus manſis & unum manſum prope curiam *Hasle* ſitum in littore quorum proprietas ad nos ſpectat cum conſenſu & bona voluntate uxoris ſue & filiorum ſuorum *Rotbardi Ortwini Lamberti* Clericorum nobis & eccleſie noſtre dedit tali videlicet conditione, ut ipſi eadem bona poſſideant

*) De hujusmodi fraternitatibus vide Tomum IX. ſubſidior. Dipl. num. III.

deant ad tempora vite ſue poſt deceſſum vero ipſorum omnium bona predicta apud Eccleſiam integraliter remanebunt. preterea ordinavit predictus *R.* ut quicunque filiorum ſuorum poſt mortem ſuam predictorum bonorum fuerit poſſeſſor, eodem die obitus ſui unam marcam dabit Dominis noſtris & deinde ſingulis annis illa dabitur in anniverſario ſuo quod perpetuum permanebit. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum inde confectum ſigillo capituli duximus muniendum. Datum Anno Dñi Milleſimo ducenteſimo octuageſimo tertio.

LXXXIV.

SVPER VNA CVRIA IN HEVEREN.

V*olquinus* Dei gratia Mindenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino. Noverint univerſi quod *Hinricus* dictus *Stotere* cum ſuis legitimis heredibus ac *Arnoldus* & *Wernerus* filij Werneri pie memorie Civis Mindenſis dicti de *Hasle* in noſtra preſentia conſtituti bona ipſorum videlicet unam domum in *Heveren* quam a nobis in feodum tenebant pro triginta & quatuor marcis Bremenſis argenti noſtro conſenſu accedente noſtro Capitulo vendiderunt cujus proprietatem predicto noſtro Capitulo divine pietatis intuitu donavimus & in hijs ſcriptis donamus perpetuo poſſidendam. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum. Teſtes hujus

hujus rei sunt *Willekinus de Holte Rychardus* dictus *vulpes Henricus* dictus *de Dungerden* milites *Henricus Sprunc Adolphus* dictus *Knicke Hermannus* dictus *de foro* & alij quam plures. Datum & Actum *Minde* Anno Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo quarto in festo Annuntiationis beate *Marie*.

(25. Mart.)

LXXXV.

SVPER LIBERTATE OPIDI REPHOLTHVSEN.

Volquinus Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris salutem in Domino. Cum res gesta commendatur litteris universa calumpnie prevenitur materia ne prestetur litis occasio successori. sane ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod nos oppido nostro novello in *Repholthusen* talem libertatem donamus ut incole sive inhabitatores ipsius omni jure ac libertate gaudeant qua cives nostri Mindenses fruuntur & hactenus fruebantur, ita quod si contingeret super tali jure seu libertate suboriri dubium in futuro pro tali solvendo dubio ad Mindenses cives habeatur recursus, porro supradicti incole inhabitatores sive opidani dabunt de suis areis denarios censuales, quilibet videlicet de sua area unum solidum in septimana que communis dicitur circa festum *Michaelis*, de solvendis alijs ipsos per triennium liberamus a festo sancti *Johannis Baptiste* nunc ventu-

venturo proximo computandum, quo transfacto triennio dabuntur de Cervisia sex denarij, de pane duo, de vacca sive bove mactando duo, de porco unus de ove obulus. Et ut hec illibata permaneant sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum *Minde* in crastino *Bonifacij* Martiris. Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quarto. (6. Junij.)

LXXXVI.

SVPER DECIMA IN HEMMIE REDEVNTE AD ECCLESIAM POST OBITVM HINRICI KNYGGEN ET EJVS LEGITIME.

J*obannes* nobilis dictus de *Adenoys* omnibus presens scriptum visuris seu audituris salutem. Presentibus testor scriptis quod *Hinricus Knicko* & uxor sua *Jutta* a Venerabili Domino *W.* Mindensi Episcopo decimam in *Hemmie* sitam cum omni jure habeat in pheodo temporibus sue vite tali conditione ipsis defunctis ac morte preventis dicta decima ad usus Ecclesie Mindensis libera redibit & soluta. Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quinto. In die Ascensionis Domini. (3. Maij.)

LXXXVII.

QVOD OFFICIVM IN ALDEN POTEST REEMI PRO L. MARCIS BREMENSIS ARGENTI, PRO QVIBVS REDEMPTVM FVIT CASTRVM STEYGERBERCH.

V*olquinus* Dei gratia Mindenſis Eccleſie Epiſcopus *Otto* Prepoſitus *Conradus* Decanus totumque ejusdem Eccleſie Capitulum cunctis hoc ſcriptum intuentibus ſalutem in Domino ſempiternam. Cum labente temporum curriculo ſimul memoria hominum facile ſopiatur, convenit ea que recenter inter homines acta ſunt ſcripturarum apicibus eternari. Notum igitur volumus eſſe univerſis quod cum nos tum propter expenſas circa deſtructionem Caſtri *Steygerberch* per quod Eccleſia noſtra miſerabiliter gravabatur, tum etiam propter diſcordiam quam habuimus cum *Gherardo* nobili fratre quondam Advocati de *Monte* qui nomine advocatie in nos & eandem Eccleſiam noſtram debitorum neceſſitate que legem non habet, cogente, licet inviti fecimus quod potuimus & de voluntate & conſenſu *O.* Prepoſiti *C.* Decani totius Capituli noſtri meliora providentis vendidimus pro ducentis quinquaginta marcis Bremenſis argenti dilectis fidelibus noſtris *Henrico* militi *Ludero Conrado* & *Johanni* fratribus dictis de *Aleden* redditus noſtros Epiſcopales quos idem fratres nomine officij ſive villicationis ſingulis annis nobis perſolvere conſueverunt vel qui a nobis vel a noſtris ſucceſſoribus poſſent percipi in futurum & eosdem redditus

ditus ſicut curiam in *Aleden* quam ipſi & eorum progenitores ab Eccleſia noſtra hactenus habuerant idem fratres a manu noſtra cum omni jure in feodo receperunt a ſe & eorum legitimis heredibus emptionis titulo perpetuo poſſidendam, & ne dicta venditio a nobis vel ſucceſſoribus noſtris vel ab aliquibus de Capitulo retrahi vel evinci poſſet renuntiavimus etiam & renuntiamus in hijs ſcriptis omni juri & auxilio Canonum & civili & omnibus exceptionibus que prenotatis fratribus prout in facto nocere & nobis & Eccleſie noſtre prodeſſe excepto ſolo feodo quod detinent a nobis, cum enim deceptis & non decipientibus jura ſubveniant, idem fratres memores ſue ſalutis, qui nos & Eccleſiam noſtram Mindenſem debita amplectuntur caritate & ne in neceſſitatibus noſtris ab ipſis videamur eſſe leſi, nobis & cuilibet noſtro ſucceſſori dant liberam facultatem dictos redditus pro ſupradicta pecunia reemendi ita tamen quod a nobis ſolo vel Epiſcopo qui pro tempore fuerit in Eccleſia Mindenſi reemantur & ad menſam Epiſcopalem ſolummodo & non ad alios uſus devolvantur ut hoc factum noſtrum debitum perpetuo firmitatis ſortiatur effectum, preſentem litteram noſtri & Eccleſie noſtre ſigillorum munimine duximus roborandam. Hujus rei teſtes ſunt predicti *Otto* Prepoſitus *Conradus* Decanus *Albertus Sprick*, *Gherardus* Archidyaconus *in Lo*, *Arnoldus* Theſaurarius dictus *de Scinna*, *Gherardus de Baſtorpe*, *Arnoldus* Cellerarius, *Rudolphus de Bardeleven*, *Ludolphus de Arnem*, *Lodewicus Sprunc*, *Giſo Vulpes*, *Johannes de*

Mandeslo, *Nicolaus Conradus de Nygenborch* & *Hermannus de Blasuc* Ecclesie Mindensis Canonici. *Willilinus* nobilis *Wychramus Richardus Vulpes Henricus* & *Florencius* fratres dicti de *Dungerden Johannes* Gogravius *Johannes* Marscalcus *Rudingerus* & *Johannes de Bardel* fratres *Johannes de Barchusen*, *Helmbertus* Camerarius milites *Rychardus Vulpes Alexander de Holle Meynfridus de Barchusen* famuli, *Johannes Block Henricus Sprunc Alexander de alta platea Johannes de Nigenborch Hermannus de foro Henricus de Arnem Wernerus Schine* Consules civitatis Mindensis & alij quam plures. Datum *Minde* Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quinto octavo Kalend. Junij. (25. Maji.)

LXXXVIII.

SVPER THEOLONIO CIVITATIS MINDENSIS.

Omnibus hanc paginam inspecturis *Henricus* dictus *de Dungerden* miles subscriptorum memoriam obtinere. Tenore presentium cum appensione sigillorum nostri videlicet & Civitatis Mindensis publice protestamur quod theloneum infra predictam Civitatem Mindensem quem cum nostris heredibus a Venerabili Patre Domino nostro *Volquino* Episcopo tenemus in pheodo pro quadraginta marcis argenti a nobis & nostris heredibus reemendi habebunt liberam facultatem. Datum

tum decima feptima Kalend. Decembris Anno Domini Millefimo ducentefimo octuagefimo quinto.
(15. Nov.)

LXXXIX.

SVPER VNO MANSO IN REPHOLTHVSEN &c.

Volquinus Dei gratia Mindenfis Ecclefie Epifcopus omnibus hoc fcriptum vifuris notum facimus quod cum *Johannes Rodewale* manfum unum Ecclefie noftre pertinentem fitum in *Repholthufen* a *Godfcalco Solcop* milite redemiffet nos eidem Johanni eumdem manfum conceffimus cum omnibus fuis pertinencijs quoad vixerit poffidendum, fed cum idem *Johannes Roydewale* mortuus fuerit a nobis vel fucceffore noftro fratri jam dicti *Johannis Alberto* dabuntur quatuor marce Bremenfis argenti & tunc idem manfus ad nos vel fucceffores noftros qui pro tempore fuerint libere revertetur, manfus quippe fepedictus nuncupatur *Stembove*, ne contingat impofterum de predicti manfi nomine dubitari. In cujus rei teftimonium figillum noftrum prefentibus eft appenfum. Datum *Minde* feria fecunda poft Dominicam *Gaudete* Anno Domini Millefimo ducentefimo octuagefimo fexto.
(16. Dec.)

XC.

SVPER CVRIA IN BASTORPE CVM VNO MANSO PROPE CVRIAM HASLE DATA CAPITVLO.

Otto Dei gratia Prepositus *Conradus* Decanus totumque Mindensis Ecclesie Capitulum universis hanc litteram visuris seu audituris salutem in Domino sempiternam. Noverint universi tam posteri quam presentes quod dilectus in Christo *Rothardus* Civis Mindensis divina inspirante gratia saluti sue ac suorum consulens curiam in *Bastorpe* quam cum omnibus suis pertinentijs comparavit cum manso sito prope curiam *Hasle Nesenen* Ecclesie nostre donavit post mortem ipsius & *Gysle* uxoris sue ac filiorum ipsorum videlicet *Rothardi* & *Ortuini* sacerdotum nec non & *Lamberti* Ecclesie sancti *Martini* Canonici libere possidendam fructibus & proventibus ipsis quamdiu super vixerint semper salvis, ordinavit autem idem *Rothardus* ob anime sue ac suorum remedium & salutem quod filij sui predicti quamdiu ipsi vixerint & post mortem eorum qui ad eadem bona servanda de Capitulo fuerint ordinati ministrent in anniversario suo singulis annis viginti septem solidos leves & in anniversario Gysle memorate conjugis sue totidem quorum decem & octo inter Dominos scilicet viginti quatuor Canonicos qui presentes & in divinis fuerint & sex solidi inter tredecim vicarios in Divinis existentes in singulis eorum anniversarijs equaliter dividentur, Scholaribus in Scholas dabitur

tur solidus Camerarijs & Campanarijs octo denarij, reliqui sedecim denarij ad Candelam nocturnalem & oblationem deputentur. Nos itaque pium ipsius ad nos affectum attendentes & suam ordinationem ratam habentes presens scriptum super hoc confectum ipsi dedimus sigillo ecclesie communitum. Actum & Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

XCI.

SVPER AGROS ANTE PONTEM NOVI CASTRI SITOS &c.

Volquinus Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris notum facimus, quod nos de consensu Capituli nostri agros sitos ante pontem novi Castri duas curias sitas in *Landesberge* & decimas in *Stenlage* quas *Nicolaus Frigdach* tenuerat *Herbordo* & *Lippoldo de Mandeslo* famulis eorumque justis heredibus pro nonaginta marcis Bremensis argenti titulo pignoris obligamus tali conditione, quod infra octavas Penthecostes quocumque anno memorata bona possunt redimi pro eadem pecunie quantitate. In cujus rei testimonium nostrum & Capituli nostri predicti sigilla presentibus sunt appensa. Datum *Minde* in die *Agapiti* Martiris Anno Dñi Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo. (18. Aug.)

XCII.

SVPER DVABVS PREBENDIS CRVCIALIBVS DE SPENTHOVIA DVDVM ANNEXIS CAMPANARIO.

Volquinus Dei gratia Mindenſis Eccleſie Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris notum facimus, quod nos conſiderantes in Eccleſia noſtra Majori officia campanariorum tam modicos habere redditus & exiles, quod Campanarij de illis non poterant ſuſtentari, de voluntate ac Conſenſu Capituli noſtri duas prebendas crucis eisdem officijs anneximus volentes ut talis annexio ſit perpetuo valitura. In cujus rei teſtimonium noſtrum & Capituli noſtri predicti ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum *Minde* in Craſtino *Bartholomei* Apoſtoli Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo octuageſimo ſeptimo. (25. Aug.)

XCIII.

PERMVTATIO CERTORVM MANSORVM ET BONORVM.

Nos *Egelbertus* comes de *Everſten Wedekinnus* Canonicus Mindenſis ac *Hinricus* fratres omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Quoniam omnium habere memoriam pocius eſt divinitatis quam humanitatis conſcribi facimus ea que per nos aguntur ne oblivioni tradantur, Igitur notum eſſe volumus tam preſenti-

sentibus quam futuris, quod nos venerabili Domino Mindensis Ecclesie Episcopo quinque mansos & dimidium in *Selibassen* *) sitos dedimus per quandam commutationem pro quadam curia in *Snele* & pro quatuor mansis sitis in campo dicte ville quos a venerabili Domino jam dicto jure tenuimus pheodali nunc autem nobis cum omni jure appropriavit & attinentijs eorundem, proprietas vero quinque mansorum & dimidij in *Selekissen* ad nos jure hereditario pertinebat. Ne autem super hujusmodi commutatione reddituum premissorum aliquod dubium oriatur presentem paginam Domino sepedicto & Ecclesie Mindensi in testimonium erogamus sigillorum nostrorum munimine roboratam. Actum & Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo octavo pridie nonas Marcij.

(6. Mart.)

XCIV.

SVPER REDEMPTIONE CASTRORVM REYNEBERGE ET NOVI CASTRI.

Volquinus Dei gratia Mindensis Ecclesie Episcopus omnibus hoc scriptum visuris notum facimus quod nos pro recuperatione Castrorum nostrorum *Rynberge* videlicet & *novi Castri* a Domino *Ottone* Preposito nostro Mindensi duos mansos qui vulgariter hove **) vocantur sitos in campo

H 5 Min-

*) Selekessen.

**) Hubam ab Hove, Hofa, Hova distinguit *Aventinus lib. 7. pag. 453.* Classes rusticorum prædiorum apud

Mindenfi, qui olim pertinuerant ad villicationem Wichgravij, quos manfos etiam ab eadem villicatione liberavimus & exemimus vendidimus capitulo Ecclefie noftre majoris ad confolationem Dñi *Bernhardi de Roftorpe* quondam noftri cancanonici nunc defuncti pro quadraginta marcis Bremenfis argenti, *) quas quadraginta marcas recognofcimus nobis numeratas five ponderatas & in utilitatem ecclefie noftre converfas, licebit tamen nobis vel noftris fucceffforibus eosdem manfos quandocunque voluerimus recuperare ab eodem capitulo pro eadem pecunie quantitate. In cujus rei teftimonium figillum noftrum prefentibus eft appenfum. Datum *Minde* tertia Kalendis Aprilis Anno Domini Millefimo ducentefimo octuagefimo nono. (30. Mart.)

XCV.

SYPER CASTRO ARNHEM.

In nomine Domini Amen. Nos *Sifridus* Dei gratia fancte Colonienfis Ecclefie Archi Epifcopus facri Imperii per Italiam Archi Cancellarius cupientes pro bono pacis & concordie cedere dis-

cor-

apud Bojos duæ funt. In prima tantum agri, quod quadrigis, in fecunda quod bigis arari folet. Hanc hubam atque manfum, illam curtim, Hofam prifci Bojorum jurisperiti vocant, illi a Rudolfo LX. affes alteri XXX. impofiti funt.

*) 280. Thaler.

cordiam que inter ven: patrem Dnũm *Volquinum* Episcopum Mindensem & suam ecclesiam ex una parte & nobiles viros *Ottonem* ejusdem Ecclesie Prepositum Dnũm *Gherardum* Comitem de *Schouwenborgh Gherardum* Advocatum de *Monte Henricum* Burcgravium de *Stromberg* & eis adherentes clericos & laycos ex altera orta fuit ab ipsis partibus ut nostre ordinationi seu compositioni starent fidem recepimus manualem, quo facto de maturo prudentum consilio ordinavimus & statuimus quod medietatem Castri *Arnem* super quo lis orta fuerat habeat Ecclesia Mindensis, alteram vero partem dictus Dnũs Comes de *Schouwenborgh* ab ipso Episcopo pacifice in pheodo possidebit, ita tamen quod nullus alium in dicto castro indebite impediat vel molestet, captivi hinc inde in eadem discordia liberi & soluti dimittentur clerici etiam amoti a suis beneficijs occasione predicte guerre ad ipsa plenius admittantur & gaudebunt de eisdem sicut antea pacifice & quiete. Item si dictus Dnũs Mindensis Episcopus quicquam questionis seu rancoris habuerit contra viros nobiles Dnũm *Ottonem* Prepositum *Gherardum* Comitem de *Schouwenborch* Gherardum advocatum de *Monte Henricum* burcgravium de *Stromberg* & Dnũm terre *Welpie*, sive contra quoslibet clericos & laycos in eorum Dominijs constitutos sive sit causa Ecclesiastica feodi seu civilis diebus debitis & monitionibus positis & signatis prout justum fuerit non per Gwerram & violentiam aliqualem precise prosequatur. Idem facient nobiles supradicti ac eorum subditi Dño Mindensi Episcopo

ſcopo & ſuis ſicut ſuperius ſcriptum eſt & expreſſum, & ſic omnis diſcordia rapine & incendij pruritus ſit ſopita. ut autem hec inviolabiliter obſerventur predictam compoſitionem conſcribi fecimus noſtroque ac ſupradictorum Domini Epiſcopi Capituli Mindenſis *Ottonis* Prepoſiti *Gherardi* Comitis *de Schouwenborgh* & *Gherardi* Advocati de *Monte* ſigillis muniri. Facta eſt hec compoſitio apud *Hervordiam* in die beati *Silveſtri* Pape Anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono.

(31. Dec.)

XCVI.

SVPER CVRIA VNA IN LANDESBERGHE ET CERTIS AGRIS ANTE NOVVM CASTRVM.

V*olquinus* Dei gratia Mindenſis eccleſie Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum viſuris notum facimus quod nos *Lippoldo de Mandeslo Guntbero de Nygenborgh* uxoribus & juſtis heredibus eorumdem obligamus titulo pignoris agros noſtros ſitos ante pontem *novi caſtri* pro quadraginta marcis & curiam noſtram in *Landesberge* pro ſedecim marcis Bremenſis argenti cum omnibus pertinentijs & juribus eorumdem, & hec obligatio facta eſt de conſenſu Capituli noſtri. In cujus rei teſtimonium tam noſtrum quam capituli noſtri predicti ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum *Minde* feria

quarta

quarta post *Reminiscere* Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo. (1. Mart.)

XCVII.

SVPER CASTRO ET OPIDO WVNSTORP.

In nomine Domini Amen. Ego *Johannes* Dei gratia Comes *de Rothe* cupiens progenitorum nostrorum prout decet & expedit vestigia imitari compositionem amicitiam seu ordinationem olim factam inter *Ludolphum* Patrem meum fel. rec. quondam Comitem *de Rothe* ex parte una & Venerabilem Patrem *Johannem* quondam Episcopum Mindensem ex altera cum Reverendo Patre *Volquino* Dei gratia nunc Episcopo Mindensi secundum omnem modum & formam hucusque habitam de verbo ad verbum duxi innovanda & perpetuo inviolabiliter observanda. Forma autem compositionis amicitie seu ordinationis talis est: *Ludolphus* Dei gratia Comes de *Lymbere* universis presentem litteram inspecturis eternam in Domino salutem, que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, poni solent in lingue testimonio aut scripture memoria perhennari. Ad noticiam igitur universorum tam presencium quam futurorum Christi fidelium pervenire cupimus, quod Werra que inter Ecclesiam & nos aliquamdiu habita est sopita est sub hac forma, Nos enim ut Episcopo & Ecclesie Mindensi coadunaremur Castrum & opidum

opidum in *Wunſtorpe* cum advocatia & omni jurisdictione & jure attinente & inſuper omnia bona tam libera quam infeodata cum decimis allodijs & mancipijs attinentibus ſilvis etiam & piſcaturis que frater noſter Comes *Conradus* pie memorie ab Epiſcopo & Eccleſia Mindenſi in feodo tenuit & nos poſt mortem ſuam poſſedimus, Epiſcopo & Eccleſie Mindenſi libere reliquimus & abſolute ſub tali conditione, quod Dominus *Johannes* Epiſcopus de conſenſu & voluntate totius Eccleſie Mindenſis medietatem Caſtri & opidi predicti in *Wunſtorpe* & omnium antedictorum bonorum nobis & noſtris juſtis & legitimis heredibus in feodo porrexit, & preterea partem quam in novo Caſtro ſuo frater noſter C. Comes habuit eo jure quo & ipſe tenebat nobis reliquit quiete poſſidendam Adjectum eſt etiam quod ſi qua reparatio aut munitionis conſtructio Caſtro predicto in *Wunſtorpe* adhibenda eſt, de paribus Domini Epiſcopi & noſtris expenſis & ſtudijs procuretur. Dominam etiam *L.* fratris Domini noſtri Comitis *C.* relictam & filias ejus equalibus procurabimus expenſis & locabimus competenter. Ad robur etiam talis confederacionis & amicitie adjectum eſt hinc inde fide data, quod ſi Dominus Epiſcopus ſepedictus vel ſucceſſores ejus nos in poſſeſſione caſtrorum predictorum & civitatis in *Wunſtorpe* eicere voluerit omnia bona que ei reliquimus ad nos integraliter revertantur, ſi autem nos Epiſcopum vel ſucceſſores ſuos, quod abſit, ejecerimus, omnia bona que ab eo tenemus ſibi & Eccleſie Mindenſi libere vaca-

bunt

bunt & absolute. Promisimus etiam fide data quod a servitio suo & Ecclesie Mindensis nunquam recedemus & ipse nobis e converso auxilium contra omnes nobis injuriantes promisit oportunum. Adjectum insuper si nos aliquam partem sive de Castris sive de opido sive de bonis supradictis aut totum forte contingat esse vendituros, Episcopo antedicto & Ecclesie Mindensi, si eis placuerit, pro tanta dimittemus pecunie summa quanta alijs evidenter habere poterimus absque dolo pro eisdem, & ipsi idem nobis facient e converso. Condictum est insuper quod nos de parte nobis assignatorum facere possumus quod volumus dummodo non vergat in prejudicium Ecclesie Mindensis & gravamen. Ut autem Ecclesia a nobis & nos ab Ecclesia secundum formam scriptam non eiciamur, duodecim Canonici & milites pro Episcopo & Ecclesia & totidem milites & famuli pro nobis fide data mutuo firmaverunt, isti ex parte nostra promiserunt *Conrat* de *Broke Arnoldus de Belderssen Wernerus de Negenburc Conrat de Eckere Hillebrant de Lenthe Jordanus de Eckere Thidericus Holtgravius Alexander de Holle Eghelbertus de Lenthe Bertoldus Frambalg Johannes Thunstotele Thidericus Holtgravius*. Facta est hec innovatio in Demo Episcopi Mindensis quarto Idus Aprilis Anno Domini Millesimo Ducentesimo nonagesimo. (10. Apr.)

XCVIII.

XCVIII.

SVPER MEDIETATE CASTRI VLOTOWE EMPTA PER ARCHI EPISCOPVM COLONIENSEM.

Universis tam presentibus quam futuris ad quos presentes littere pervenerint *Gherardus* nobilis Advocatus *de Monte* noticiam rei geste, notum facimus quod nos habito consilio consanguineorum & amicorum nostrorum medietatem Castri *Vlotouwe* cum omni jure suo vasallis ministerialibus hominibus mancipijs agris cultis & incultis aquis aquarum decursibus nemoribus pratis pascuis bonis ac attinentijs ipsius castri universis prout nobis competunt & competere poterunt, curtibus nostris *Desborch* & *Bekebusen* dumtaxat exceptis pure & simpliciter de bona nostra voluntate vendidimus & vendimus Rdō in Christo Patri ac Domino nostro *Syffrido* Archi Episcopo & Ecclesie Coloniensi & in ipsos transtulimus & transferimus pleno jure pro mille & quingentis marcis Hervordensis monete, de quibus idem Dominus noster Archi Episcopus nobis quingentas marcas solvit in presenti, residuas vero mille marcas solvet infra festum Purificationis beate *Marie* Virginis proximo fututum ita videlicet quod ipsum Castrum videlicet domum nostram *Moysbus* & turrim & ipsum Castrum pro parte nos contingente cum bonis attinentibus quibuscunque dabimus in manus & potestatem honestorum virorum *Hinrici* burggravij de *Stromberghe Erefridi* de *Bredenole* & *Rychardi*

dicti

dicti *Vulpis* militum tenendum & habendum nomini dicti Domini nostri Archi Episcopi & nostro sub expensis ejusdem Domini nostri Archi Episcopi usque ad octavam Purificationis beate virginis proximo futuram hac conditione adjecta quod si idem Dñus noster Archi Episcopus vel successor suus residuas mille marcas infra octavam Purificationis predictam nobis vel heredibus nostris persolverit, ex tunc predicti Burggravius *Erenfridus* & *Rychardus* ipsum castrum, domum nostram & turrim eidem Domino nostro Archi Episcopo vel successori suo & Ecclesie Coloniensi pro parte nos contingente assignabunt libere & absolute, & poterunt ijdem Dñus noster Archi Episcopus successor suus & Ecclesia Coloniensis de turri, domo & Castro predicto prout nos contingunt tanquam de castro suo proprio omnem suam facere & disponere voluntatem. quod si dicte mille marce medio tempore nobis vel heredibus nostris non fuerint persolute dampnum quod nos vel heredes nostri ex defectu solutionis hujusmodi sustinuerimus, Idem Archi Episcopus & Ecclesia Coloniensis ad dictum & ordinationem honorabilium virorum *Wicboldi* Decani Coloniensis & *Volquini* Scolastici Mindensis Germani nostri *Hinrici* Burggravij de *Strombergh* & *Rychardi Vulpis* militum nobis cum sorte principali mille marcarum predictarum refundent & persolvent & nichilominus Burggravius *Erenfridus* & *Rychardus* predicti dictum castrum cum suis attinentijs ut est premissum in sua potestate tenebunt, nec Archi Episcopo vel Ecclesie Coloniensi assignabunt

bunt quousque de dictis mille marcis & dampno ad dictum Decani Scolastici Burggravij & *Rychardi* predictorum nobis vel heredibus nostris fuerit plenarie satisfactum, dicti etiam milites dictum Castrum prout ipsis est commissum tenebunt nec ipsos per nos seu per nostros impediemus verbo vel facto nec opem vel operam ad hoc dabimus qualiter ipsum Castrum de manibus ipsorum medio tempore avellatur, liberum etiam erit eidem Domino nostro Archi Episcopo & Ecclesie Coloniensi se juvare de Castro predicto contra suos & Ecclesie Coloniensis adversarios & inimicos durante commissione predicta. Preterea si quingentas marcas Hervordensis monete idem Dominus noster Archi Episcopus vel successor suus medio tempore nobis vel heredibus nostris persolverint fide jussores bonos & legales de ultimis quingentis marcis ad dictum honorabilis viri Dñi *W.* Decani Coloniensis & Burggravij de *Strombergh* consanguineorum nostrorum recipiemus & super hoc stabimus dicto & ordinationi eorumdem. Actum est etiam inter dictum Dominum nostrum Archi Episcopum & nos quod in Castro predicto aream recipere & in ipsa domum edificare poterimus, domo lapidea cum suis attinentijs Dño nostro Archi Episcopo, ut est predictum, reservata, & nos & heredes nostri erimus & remanebimus Crastenses ejusdem Domini nostri Archi Episcopi & Ecclesie Coloniensis in Castro predicto & sibi & Ecclesie Coloniensi fidelitatem tamquam Castrenses faciemus & fecimus sub juramento debito & consueto. Nos etiam tamquam

quam nobiles Castrenses ipsius Dñi nostri Archi Episcopi & Ecclesie Coloniensis nos defendere & nostris consanguineis & amicis assistere poterimus de castro predicto contra nostros quoslibet inimicos, Idem etiam Dominus noster bona in districtu nostro inter *Mindam* & *Rentelen* non comparabit nec pontem ultra *Weseram* faciet nisi hoc fuerit de nostro consensu & voluntate, que omnia & singula premissa pro nobis & heredibus nostris de Consensu *Gerburgis* uxoris nostre expresso & *Volquini* Scolasti Mindensis fratris nostri predicti promisimus & promittimus fide & juramento corporaliter prestitis inviolabiliter tenere & observare. In cujus rei testimonium & firmitatem sigillum nostrum una cum sigillis uxoris & fratris nostri predictorum presentibus duximus apponendum. Et nos *Syfridus* Dei gratia sancte Coloniensis Ecclesie Archi Episcopus predictus recognoscentes sic inter nos & Advocatum predictum super Castro predicto actum esse & concordatum sigillum nostrum apposuimus huic scripto. Nos etiam *H.* Burcgravius *Erenfridus* & *Rychardus* similiter recognoscimus & protestamur, quod nos Custodiam Castri *Vlotouw* secundum omnes & singulas conventiones superius expressas in nos recipientes fide prestita & juramento interposito promittimus hujusmodi conventiones tenere firmiter & observare prout superius est expressum dolo & fraude penitus exclusis, sigilla nostra in testimonium presentibus apponentes. Acta sunt hec presentibus honorabilibus viris *Reynardo* Preposito Bunnensi & Archidiacono

 Colo-

Colonienſi *W.* Decano Colonienſis predicto *Wernero* Prepoſito ſancti *Gereonis* & *Johanne* Archipresbitero Majoris Eccleſiarum Colon. Prelatis & alijs pluribus fide dignis. Datum Anno Dñi Milleſimo ducenteſimo nonageſimo in Vigilia beate *Marie Magdalene.* (21. Jul.)

XCIX.

SVPER DECIMA IN LYVISTE.

Nos Dei gratia *Otto* Dux de *Bruneswich* & *Luneborch* tenore preſentium proteſtamur, quod fidelis noſter Caſtellanus *Johannes* de *Eſcherte* pro ſe & omnibus heredibus ſuis renuntiavit omni juri quod competebat ei in decima *Lyuiſte* & litteris deſuper ſibi datis de cetero nunquam volet uti Eccleſiam Mindenſem pro hac cauſa ſive in hac decima ullatenus moleſtando. In cujus rei certitudinem pleniorem hanc litteram dandam duximus noſtri ſigilli robore communitam. Datum *Honover* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo nonageſimo ſecundo feria quarta poſt feſtum Penthecoſtes. (28. Maij.)

C.

SVPER DECIMA IN LEVESTE.

Ego *Johannes de Eſcherde* tenore preſentium publice recognoſco quod renuntio omni juri

quod

quod michi & omnibus heredibus meis in decima *Liueſte* quocumque titulo competebat promittens fideliter ſine dolo quod litteris michi deſuper datis, ſi invente fuerint, tam Ego quam omnes heredes mei nolumus unquam uti & hujus proteſtationis renuntiationem feci coram omnibus Rectoribus Eccleſiarum *Honovere* & omnibus militibus quorum preſentia haberi poterat illa vice & coram Conſulibus civitatis, Et ne unquam impoſterum de hac cauſa ſive materia dubietatis ſcrupulus oriatur, preſentem dedi litteram ſigillorum Civitatis Honoverenſis & noſtri munimine roboratam. Datum Anno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo.

CI.

CERIMONIALE CORONATIONIS HENRICI VII. ROM. IMPERATORIS ROMAE SOLEMNITER PERACTAE.

Henricus Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ſanctiſſimus in Chriſto Pater Dominus *Clemens* ſacro ſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis *Arnoldo Sabinenſi* Apoſtolicæ ſedis Legato, *Nicolao Hoſtienſi* & *Velletrenſi* Epiſcopis ac *Lucæ* ſanctæ *Mariæ in via lata* Diacono Cardinali nec non fel. rec. *Leonardo Albanenſi* Epiſcopo & *Franciſco Silvæ* Diacono Cardinali,

dinali, qui poſtmodum ambo diem clauſerunt extremum per ſuas litteras duxerit committendum, ut nos inungerent & Imperiali diademate coronarent, coeteraque ipſius coronationis ſolemnia peragerent; Idemque Dominus ſummus Pontifex ex eo quod multæ obſervantiæ, multaque ſolemnia, multæque reverentiæ & honorificentiæ Romano Pontifici competentia propter ſui abſentiam obmitti debebant in eisdem fuerit proteſtatus litteris ac voluerit & Apoſtolica auctoritate decreverit, nullum ex hoc juris vel facti Romanæ Eccleſiæ ac ſibi ſuisque ſucceſſoribus præjudicium generari, quin cum caſus Regem Romanorum Imperatorem coronandi occurrat, omnia exhibeantur & fiant per coronandos Romanis Pontificibus ſicut in forma quæ in Archivio Eccleſiæ & Pontificali ordinario continetur in prædictis deſcripta litteris ſerioſius eſt expreſſum, quarum quidem litterarum de verbo ad verbum tenor dignoſcitur eſſe talis:

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus Fratribus *Arnoldo Sabinenſi* Apoſtolicæ ſedis Legato ac *Leonardo Albanenſi* & *Nicolao Hoſtienſi* Epiſcopis ac dilectis filijs *Franciſco* ſanctæ *Luciæ* in ſilice & *Lucæ* ſanctæ *Mariæ in Via lata* Diaconis Cardinalibus Nuntijs ejusdem ſedis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Rex Regum & Dominus Dominantium Dei clementiſſimus filius Jeſus Chriſtus honore multiplici Reginam præfulgidam ſibi in veſtitu deaurato circum amictam varietate aſſiſtentem a dextris ſanctam videlicet Eccleſiam ſponſam ſuam, quam ſuo pretioſo ſangui-

ne redimitam clementer ſibi inſeparabili fœdere conjungi voluit honore primatus multiplici ac multifariæ præeminentiæ inſignivit, ſed in eo potiſſime ipſam honorabilem & felici ac præcellenti reddiderit dignitatis ſtatu fulgentem, qui eidem tantam tribuit plenitudinem poteſtatis, ut perſonis quantumcunque conſpicuis, quantacunque ſolemnitate inſignibus & præclaris in his poſſit, ſibique competat adeſſe magnifice, per quæ ipſe clari nominis titulum & famoſæ conſequuntur potentiæ culmen & etiam incrementum. Dominator enim cœli, qui ſolus altiſſimus poteſtatem habet in regno hominum & quæcunque voluerit ſuſcitat ſuper illud poteſtatem dedit ei & honorem & regnum, poteſtatem æternam, quæ non aufertur, & regnum quod non corrumpitur, ut Imperatores & Reges in ipſa & per ipſam doctrina ſalutari intelligantur & erudiantur judices orbis terræ eidem ſervire & obſequi in timore, qui imperat ventis & mari, cuncta namque quæ in cœlo ſunt & in terra ſua ſunt, ſuum eſt regnum, ipſe ſuper omnes principes, ſuæ ſunt divitiæ ſua gloria qui dominatur omnibus & in manu ejus virtus & potentia, magnitudo & imperium omnium ſub quo curvantur qui portant orbem, per eum enim Reges regnant & principes & legum conditores juſta decernunt, qui habet in femore ſuo ſcriptum Rex Regum & Dominus Dominantium, ad cujus præceptum elevabitur Aquila & ponet in arduis nidum ſuum. ſane dudum poſt electionem Cariſſimi in Chriſto filij noſtri *Henrici* Regis Romanorum illu-

ſtris celebratam concorditer per regni Alamanie principes in electione Romanorum Regis habentes vocem cum imminet facienda, ſolemnibus dicti Regis Ambaſciatoribus ac Nuntijs ad noſtram potentiam accedentibus & nobis ejusdem electionis preſentato decreto ad eorum inſtantem & devotam ſupplicationis inſtantiam coram nobis & fratribus noſtris iteratis vicibus & per interſtitia Epiſcoporum repetitam præfatum Regem, qui per prefati decreti & conditionis perſonæ ipſius non levi notitia antea nobis & fratribus noſtris note examinationem coram nobis & eisdem fratribus noſtris habitam diligenter in quantum fieri potuit, eodem abſente ſufficientem ipſum idoneum & habilem invenimus ad prefatum Imperium obtinendum ac electionem predictam canonicam extitiſſe de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio ipſum reputavimus, nominavimus, approbavimus, denunciavimus & declaravimus Romanorum Regem juſtitia exigente, ac fore idoneum, ſufficientem & habilem ad dignitatem imperialis celſitudinis obtinendam pronunciamus, inſuper . . . ſibi per noſtras manus loco & tempore oportunis debere concedi unctionem & ipſius Imperij diadema certum ad hoc ei terminum aſſignantes. Cumque poſtmodum Rex prefatus Italie partes fuiſſet potenter & pacifice ingreſſus & a Lombardie civitatibus alijsque locis inſignibus, ad que declinaverat, honorifice & pacifice jam receptus. Alij predicti Regis Ambaſciatores & Nuntij ad Apoſtolice ſedis preſentiam acceſſerunt, qui cum multa nobis inſtantia

inter

inter cetera supplicarunt, quod cum ipsi patenter advertērent, sicut eis jam per nos super hoc responsum extiterat, quod propter Generale Concilium quod in Kalend. Octobris proxime venturis disposueramus dante Domino & disponimus celebrare; alia quam multa & ardua plurimumque urgentia que necessario in citra montanis partibus expedienda nobis negotia incumbebant tunc temporis, & incumbunt prædictam unctionem & Imperij diadema aliaque solemnia non poterant Regi memorato per nostras manus concedi terminum ipsum sub spatio temporis brevioris concludere ipsamque unctionem & Imperij diadema ceteraque solemnia per aliquos ex Fratribus supradictis in festo Pentecostes tunc proxime futuro impendi facere dignaremur. Nos igitur predictis Nuncijs receptis mansuetudine consueta & his & alijs, que coram nobis voluerunt proponere diligenter auditis eis certo modo duximus respondendum ejusdem Regis super hoc cum predictis Fratribus nostris diligenti deliberatione prehabita, nihilominus desiderijs annuere intendentes & quia propter temporis nimium brevitatem in dicto festo Penthecostes solemnitatem unctionis & coronationis hujusmodi non posse fieri credebamus. Hec Rex ipse in festo predicto sibi ut ejus decebat honorem de apparatu ad hoc necessario potuisset forsitan providisse significavimus ei per nostras litteras speciales ut tanti arduitate negotij diligenter inspecta & considerata prudenter temporis qualitate aliquem certum & solennem diem prout crederet convenire, post

festum predictum eligere, ipsumque Nobis significare, illius deliberatio non differret, ut infra diem ipsum aliquos de fratribus supradictis de quibus Apostolica deliberatio provideret, qui ei unctionis ejusdem munus impenderent & imponerent vice nostra predictum Diadema Imperij & alia inibi agenda solemnia peragerent, mitteremus dilectos filios Magistrum *Robertum* Clericum salernitanum & *Hugonem Geraldi* Cantorem Petragoricen. Cappellanos nostros ad eumdem Regem super his cum eisdem nostris litteris destinantes, per quos sibi paterne sinceritatis affectum & mentis Apostolice puritatem quos ad status ipsius & exaltationem magnificam habebamus clarius aperiri. Verum Rex prefatus super hoc matura deliberatione prehabita festum Assumptionis Beate Virginis proxime venturum pro termino ad recipiendum in Basilica Principis Apostolorum deuote more solito unctionem hujusmodi & ipsius Imperij diadema, aliaque inibi solemnia peragenda recepit, prout nobis per solemnes suos Ambasciatores ac Nuntios per speciales litteras intimavit, suo regali sigillo pendenti munitas cum multa devotionis instantia supplicans per eosdem ut ad eum aliquos mitteremus de Fratribus memoratis pro impendenda unctione hujusmodi & imponendo sibi ejusdem Imperij diadema alijsque solemnibus peragendis. Porro si desuper datum esset, ut circa tanti celebritatem negotij exhiberi posset nostra presentia corporalis, ut ibi mente vigilanter intendimus, ibi presentialiter nostrum desiderium pande-

panderemus, ad quod etiam ejusdem Regis concurrunt, ut pro certo novimus cum promptitudine multiplicis devotionis affectu gaudemus in Domino & plurimum satisfieret votis nostris. Verum quia ex causis predictis non possumus in hac parte affectibus satisfacere mentis nostre predicti Regis frequentibus & devotis supplicationibus inclinati & ad personas vestras Apostolice mentis oculos fiducialiter dirigentes, Vobis quorum nobis sunt note virtutes, quosque in magnis & arduis dicta sedes diversis vicibus est experta & de quorum operibus fructus provenisse conspicimus super hoc nostre solicitudinis onus duximus imponendum, sperantes quod tanquam viri virtute magnifici, opus hujusmodi viriliter assumetis ad divini nominis laudem & gloriam effectualiter exequendum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad dictam Urbem die Assumptionis predicta personaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum dum Frater Ostiensis Episcopus Missam celebres & Regem inungas eundem, Vosque Frater Albanensis, Ostiensis & Sabinensis Episcopi Vosque Filij *Francisce* & *Luca* Diaconi Cardinales vel illi vestrum qui presentes fuerint eisdem Regi & Regine mitras & diademata Imperij Regi quoque Sceptrum Pomum & Gladium & alia solemnia prout infra patentius & distinctius Vobis injungitur, tribuatis eorumque vertices inclitas reddatis illorum insignijs cum solitis solemnitatibus decoratos in nomine & virtute Altissimi prudenter honorifice ac etiam diligenter prout de-

cet

cet tam arduum & ſolemne negocium, que vobis committimus noſtris vice & nomine exequentes in dicto feſto Aſſumptionis ſi potius commode vel alio certo convenienti dié, quem idem Rex ad hoc pro qualitate negociorum imminentium duxerit eligendum; quod ſi non omnes his exequendis poteritis intereſſe, quatuor, tres aut unus ex vobis ea nihilominus exequatur, & ne quis in agendis ſolemnibus antedictis error, quod abſit intervenire valeret, modum & formam & locum agendorum & tibi & per quas perſonas agenda fuerint particulariter & diſtincte duximus preſentibus inſerenda prout in Archivio Eccleſie & Pontificali Ordinario continetur. Quorum forma talis eſt: = Cum Rex in Imperatorem electus pervenerit ad portam Collinam, quæ eſt juxta Caſtellum *Creſcentij*, recipiatur honorifice a Clero Urbis cum crucibus & turribulis & proceſſionaliter deducatur usque ad Gradus Baſilice ſancti *Petri* cantantibus univerſis: *Ecce mitto Angelum meum &c.* Camſarijs ejus miſſilia ſpargentibus ante ipſum & Præfecto urbis gladium preferente. Cum autem pervenerit ante Baſilicam in platea, que cortina vocatur, dextrandus eſt a ſenatoribus usque ad gradus predictos, ubi eo deſcendente, tradendus eſt equus, cui Rex incederat, illis. Interim ſummus Pontifex cum omnibus ordinibus ſuis preparet ſe in ſecretario tamquam celebraturus divina & proceſſionaliter exiens usque ad ſuggeſtum are ſuperioris, que eſt in capite graduum ſuper faldiſtorium ibi ſedeat, conſidentibus ſuper gradus a parte dextra

tra Episcopis & presbyteris, a finistra vero Diaconis Cardinalibus & in proximiori gradu subdiaconis & Accolitis, Primicerijs & Cantoribus astantibus circa illos cum magnatibus & nobilibus, Officialibus & Ministerialibus Aule Papalis. Tunc Rex cum Archi Episcopis & Episcopis Principibus & Magnatibus suis ascendens ad summum Pontificem reverenter osculetur pedes ejus & offerens ei aurum quantum sibi placuerit, benigneque recipiatur ab eo ad osculum & amplexum. Quo demum surgente Rex ipse a parte dextra ac Prior Diaconorum a parte sinistra deducant usque ad Ecclesiam sancte *Marie in Turribus* ubi ante altare subdiacono Evangelij dextram tenente Rex super illum corporaliter prestet hujusmodi juramentum: = Ego *Henricus &c.* Rex Romanorum futurus annuente Domino Imperator promitto, spondeo & polliceor coram Deo & beato *Petro* me de cetero protectorem & defensorem fore summi Pontificis & sancte Romane Ecclesie in omnibus necessitatibus & utilibus suis custodiendo & conservando possessiones & honores & jura ejus quantum divino fultus adjutorio secundum stare & posse meum recta & pura fide, sic me Deus adjuvet & hec sancta &c. = Forma autem juramenti positi in Avenionen: per procuratores & nuncios predicti Regis Romanorum tempore sue Coronationis, renovando talis est: = Nos *Sifredus* Curien: Episcopus, *Admedeus* Comes sabaudie, *Johannes Dalphinus* Viennen: & Albonen: Comes *Guido* de *Flandria*, *Joannes Comes de saraponte* & *Symon de Marvilla*

villa Thesaurarius Meten: Nuntij & Procuratores serenissimi Principis *Henrici* Romanorum Regis habentes ad omnia infra scripta plenam & generalem ac liberam potestatem & speciale mandatum ab eodem prout constat per predictas patentes literas ipsius Vobis sanctissimo Patri & Domino Dño *Clementi* divina providente Clementia Pape quinto vice & nomine dicti Domini nostri Regis & in animam ipsius promittimus & juramus per Patrem & Filium & Spiritum sanctum & per hec sancta Dei Evangelia & per hoc signum vivifice crucis & per has reliquias sanctorum, quod nunquam vitam aut membra neque ipsum honorem, quem habens sua voluntate aut suo consensu aut suo consilio aut sua exhortatione perdetis & in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus que ad vos pertinent aut Romanos sine vestro consilio & consensu & quidquid de terra Romane Ecclesie provenit ad ipsum aut perveniet vobis, reddet quam citius poterit & quandocumque in Lombardiam & Tusciam aliquem mittet pro terris & juribus suis gubernandis, quotiens mittetur eum jurare faciet illum, ut adjutor vester sit ad defendendum terram sancti *Petri* & Romanam Ecclesiam secundum suum posse; & si permittente Domino dictus Dominus noster Rex Romam venerit, sanctam Romanam Ecclesiam & vos Rectorem ipsius & successores vestros exaltabit secundum suum posse & cum Rome vel alibi per vos in Imperatorem coronandus fuerit, Dominus noster Rex predictus dictum sacramentum & aliud fieri consuetum ad

requi-

requiſitionem veſtram tempore coronationis ſue perſonaliter renovabit. Deinde ſummus Pontifex cum Ordinibus ſuis ad altare procedit & facta ibi Oratione ad ſedem aſcendit, Rege cum ſuis & tribus Epiſcopis videlicet Oſtienſi, Portuenſi & Albanenſi in Eccleſia ſancte *Marie in Turribus* remanente, ubi a Canonicis S. *Petri* receptus in fratrem Imperialibus induatur inſignibus dato ipſius Pallio Camerario Domini Pape, qui præcedentibus illis Canonicis & Cantoribus Cantantibus: *Petre amas me &c.* cum ad hoſtium Baſilice Principis Apoſtolorum pervenerit, que porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc in de Comite Lateranenſis Palatij & Primicerio judicum Romanorum Albanenſis Epiſcopus ante ipſam portam argenteam hanc ſuper eum benedictionem effundat: *Deus in cujus manus corda ſunt Regum &c.* cum autem intra Eccleſiam in medio Rote pervenitur, Portuenſis Epiſcopus hanc orationem ſuper eum decantet: *Deus inenarrabilis auctor mundi &c.* qui cum ad Confeſſionem beati *Petri* pervenerit, proſternat pronus in terram & Prior Diaconorum ſuper eum faciat Letaniam, qua finita Prior presbiterorum dicat Orationem Dominicam cum Capitulis iſtis: *ſalvum fac ſervum tuum Domine &c. Mitte ei auxilium de ſancto. Domine ſalvum fac Regem.* Ac deinde dicat orationem iſtam: *Actiones noſtras queſumus Domine &c.* Poſt hec procedatur ad altare S. *Mauritij* ubi Oſtienſis Epiſcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum & inter ſcapulas hanc orationem dicendo: *Domine Deus omnipotens cujus*

eſt

est omnis potestas &c. Item aliam Orationem dicat: *Deus Dei filius Jesus Christus &c.* Hijs itaque peractis ascendit Rex ad altare beati *Petri* ubi summus Pontifex facta confessione recipiat eum ad osculum sicut unum ex Diaconis. Ipseque procedat ad pulpitum vel ambonem, ubi thalamus constructus de lignis & ornatus de pallijs debet ei esse paratus cum suis Archi Episcopis & Episcopis, Principibus & Magnatibus secundum capacitatem loci consistat, Primicerius autem & Schola Cantorum in choro ante altare decantent introitum & post Graduale & Hymnum Angelicum decantatum summus Pontifex dicit orationem que competit illi diei, & hanc orationem pro ipso Imperatore: *Deus Regnorum omnium &c.* Cumque lecta fuerit epistola & Graduale decantatum Imperator ascendat processionaliter ad altare, ubi summus Pontifex imponit ei mitram dominicalem in Capite ac super mitram Imperatorium diadema dicens: *Accipe signum glorie &c.* Deinde sceptrum & pomum aureum tradit ei & post coetera gladium ita dicens: *Accipe gladium ad vindictam &c.* qui coronatus incedens portet in dextera manu pomum, in sinistra sceptrum & ad thalamum redeat, ipsoque ibi cum suis Principibus consistente, Prior subdiaconorum cum subdiaconis Romane Curie & Capellanis Aule Imperialis ad pectorale dextrum ante Crucifixum Argenteum laudem Imperatori alta voce decantet hoc modo: *Exaudi Christe &c.* Scriniarij vero urbis sericis cappis induti ante pectorale consistentes in Choro respondeant: *Domino Henrico invictissimo Romano.*

manorum Imperatori & semper Augusto salus & Victoria. Qua laude tertio repetita Prior subdiaconorum cum suis tribus vicibus dicat: *salvator Mundi*, & scriniarij vicissim respondeant: *Tu illum adjuva.* Deinde iste cum suis duabus vicibus dicat: *sancta Maria.* & illi vicissim respondeant: *Tu illum adjuva* & sic deinceps: sancte *Raphael*, S. *Joannes Baptista*, sancte *Petre*, S. *Paule*, S. *Andrea*, S. *Stephane*, S. *Laurenti*, S. *Vincenti*, S. *Silvester*, S. *Leo*, S. *Gregori*, S. *Benedicti*, S. *Basili*, S. *Saba*, S. *Agnes*, S. *Cecilia*, S. *Lucia &c.* quibus finitis isti bis dicant Kyrie eleyson & illi vicissim respondeant *Kyrie eleyson*, ac deinde simul omnes: *Kyrie eleyson.* Post hec Evangelio decantato Imperator Corona & manto depositis accedat ad summum Pontificem & offerat ad pedes ejus aurum quantum sibi placuerit. Ipsoque Pontifice descendente pro perficiendis missarum mysterijs ad altare Imperator more subdiaconi offerat calicem & ampullam & stet ibi donec Pontifex ad sedem reversus communicet, sacramque communionem de manu ejus suscipiat cum osculo pacis & sic ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter & coronam, missaque finita Pontificalem benedictionem reverenter accipiat & statim procedat ad locum ubi debet summus Pontifex equitare, & cum ipse Pontifex ascenderit, teneat stapedium selle ejus & arrepto freno aliquantuum ipsum adextret, moxque suum equum ascendens procedat juxta summum Pontificem usque ad Ecclesiam sancte *Marie* in Traspodina ubi dato sibi osculo ad in

vicem non corde sed corpore separentur. Si vero Regina fuerit coronanda, debet super lectorium ex opposito thalamus preparari, ubi cum duabus ad minus puellis & aliquibus ex Principibus Imperij tam Ecclesiasticis quam mundanis resideat, & post coronationem Imperatoris deducatur ad altare ante summum Pontificem amicta Regalibus indumentis, cui summus Pontifex mitram imponat, ita quod cornua mitræ sint a dextris & a sinistris, & super mitram imponat coronam ita dicendo: *Accipe Coronam Imperialis excellentie &c.* Coronata vero Regina reducatur ad thalamum & pariter Evangelium dicatur ad oblationem summo Pontifici exhibendam, stetque in gradibus juxta Absidam versus Altare *S. Leonis* donec de manu summi Pontificis pariter Imperatoriam sacrationem accipiat & tunc ad thalamum reducta permaneat usque ad finem misse. Consuevit autem Imperator larga munera omnibus ordinibus exhibere, quibus cum coronatur summus Pontifex elargitur, videlicet Episcopis, presbiteris & Diaconis Cardinalibus, Primicerio & Cantoribus, Subdiaconis Basilicarijs & Regionarijs & Universitati Cleri Romani, Capellanis & ceteris Officialibus & ministerialibus curie, Prefecto Urbis, senatoribus, judicibus, Advocatis & Scriniarijs ac Prefectis Navalium. Consuevit etiam Rex quando descendit de Monte Gaudij & venit ad Ponticellum hoc juramentum prestare Romanis: *Ego Henricus Rex futurus Imperator juro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas, sic me Deus adjuvet & hec sancta*

ℓa &c. Quia vero propter noſtram abſentiam non nulla ſolemnia ex prediċtis perſonam noſtram tangentia expedit intermitti, volumus atque decernimus, quod non obſtantibus hijs que ſuperius deſcribuntur in gradibus ſcalarum diċte Baſilice Principis Apoſtolorum, idem Rex Romanorum & honorificentia & ſolemnitate debitis recipiatur ad Oſculum per vos Epiſcopos & Diaconos Cardinales ſtantes in Ordinibus veſtris indutos proceſſionaliter obviantes eidem cum ſubdiaconis & Accolitis, Primicerio & Cantoribus aſtantibus circa vos Magnatibus & nobilibus Officialibus & Miniſterialibus Aule noſtre. Aurum vero, quod Rex coronandus in eisdem gradibus Apoſtolico conſuevit offerre preter genuflexionem & deosculationem pedum obmiſſis illis, quos nulli veſtrum faciat idem Rex, quia ſoli Romano Pontifici competunt & debentur in eodem loco per eundem Regem vobis humiliter offeratur ita dicente, ſi ſanċtiſſimus Pater Dominus noſter Dominus *Clemens* ſummus Pontifex eſſet hic preſens, ſibi offerrem Aurum iſtud perſonaliter, ſed propter abſentiam offero ſibi Vobis Dominis Cardinalibus ejusdem Domini Pape vice & nomine recipientibus aurum iſtud. Quo faċto Rex exiſtens in medio veſtrum vobiscum veniat ad altare ſanċte *Marie in Turribus* & cum ibidem fueritis publice in veſtra preſentia & recipientium noſtro & Eccleſie Romane nomine preſtet idem Rex ſacramenium ſuo proprio nomine de verbo ad verbum prout ſuperius continetur; renovet autem ſacramentum per procuratores ſuos

K 2 preſti-

prestitum sue approbationis tempore coram nobis secundum tenorem supra descriptum. Et si in adventu suo in gradibus ubi eidem obviabitis renovationem predictam facere pre elegerit contentam, Tu frater Ostiensis ut premittitur missam celebres & Regem predictum inungas pro ut in Ordinario continetur; quod si te impediri contingat, hoc tu facias Albanensis, & si ambo impediremini, hoc tu facias Sabinensis Episcope; Letanias dictas tu *Francisce*, si potes, pluviali tamen indutus, quod si impediri contingat, Tu *Luca* hoc in abitu eodem exequaris, Orationem autem, quam dicere debet Prior presbiterorum Cardinalium, Tu dicas Episcope sabinensis, quod si te impediri contingat, Tu facias Albanensis, quod si ambo impediremini Tu facias Ostiensis Episcope prestito autem in cappella predicta sancte *Marie in Turribus* juramento omnes remaneatis cum Rege predicto preter illum, qui Missarum solemnia celebrabit. Tu vero Albanensis orationem, que tibi dicenda competit, dicas loco & tempore debitis, Orationem vero quam deberet dicere Portuensis Episcopus si adesset, dicas Tu sabinensis, quod si impediri contingat, Tu suppleas ostiensis. Receptio autem ad osculum inter Diaconos Cardinales post confessionem in altari beati Petri facienda, quia soli Romano Pontifici competit & occurrit cum osculo pectoris, omittatur. Vos autem universi imponatis mitras suo modo Regi sueque Regine prout in dicto Ordinario continetur & diademata Regi & Regine predictis, verba vero dicen-

da

da in impositione Diadematum scilicet: *Accipe Coronam Imperialis excellentie* quo ad Reginam dicas Tu sabinensis, licet enim ratione Prioratus hoc tibi non competat, quia tunc in legatione nostram reprefentas personam, hoc per te volumus adimpleri. Verba autem predicta dicas alte atque sonore, ita quod ab assistentibus audiantur. Omnes vero vos alij verba eadem submissa eadem voce dicatis, sic ut nequaquam audiri possitis, sicut in consecrationibus Prelatorum fieri consuevit per coassistentes principaliter consecrantes. Verba autem competentia in assignatione gladij post sceptrum & pomum aureum, ipsumque gladium per Te Albanensem ac vos alios tradita scilicet: *Accipe gladium ad vindictam malefactorum &c.* Tu idem alta & sonora voce dicas & proferas Albanensis reliquis submissa voce eadem verba dicentibus prout in verbis impositionum mitrarum & diadematum superius est expressum. Decantato autem Evangelio Rex coronandus offerat aurum quod ad pedes Romani Pontificis consuevit offerri ad pedem majoris altaris, quod vos omnes nostro recipiatis nomine. Cetera solemnia peragantur cum omni solemnitate & honorificentia prout in Ordinario continetur. Oblatio vero calicis & ampulle per Imperatorem jam coronatum decantato Evangelio corona & manto depositis more subdiaconi Romano facienda Pontifici & assistentia eidem facienda per Imperatorem, donec Pontifex ad sedem propriam revertatur, qui soli Romano Pontifici competunt, obmittantur. Item cum Imperator, si voluerit sa-

cram communionem de manu recipiat celebrantis, osculo tamen ommisso, quibus peractis ad thalamum rediens in Ambone resumat mantum pariter & coronam. Processus autem ejusdem Imperatoris ad locum, ubi summus Pontifex equitare deberet & dictæ stapedij selle ejus & erecto freno equi cui Romanus Pontifex insideret adestratis, officij stratoris exhibitio, qui soli Romano Pontifici competunt, & presentium ipsius exigunt corporalem, omittantur omnino. reliqua autem solemnia prout exprimuntur in Ordinario solemniter & honorifice compleantur, quia autem ex predictis apparent multe observantie multaque solemnia multeque reverentie & honorificentie Romano Pontifici competentia propter nostram absentiam ommittantur. Protestamur & volumus & Apostolica autoritate decernimus nullum ex hoc juris vel facti Romane Ecclesie ac nobis nostrisque successoribus prejudicium generari quum Casus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur & fiant per coronandos Romanis Pontificibus sicut in forma que in Archivio Ecclesie & Pontificali Ordinario continetur superius descripta seriosius est expressum ad ejusdem autoritatem Ecclesie Romane, nostram & successorum nostrorum conservationem juris atque cautelam volumus per vos ab eodem tam Rege coronando, quam Imperatore coronato expresse his nostris protestationi & decreto consentiente recipi patentes literas quadruplicatas de verbo ad verbum tenorem presentium continentes suo regali primum sigillo ac post-

modum

modum ſuo Imperiali bulla aurea communitas, quas Vos Albanenſis, Oſtienſis, Luca duo aut alter veſtrum nobis aut Camere noſtre fideliter aſſignetis. Datum in Prioratu de *Trauſello* prope *Malauſanam* Vaſionenſ. dioc. XIII. Kal. Julij Pontificatus noſtri anno ſexto.

Nos igitur prefatus *Henricus* Romanorum Imperator, qui exaltationem Romane Eccleſie ubilibet affectamus & ejusdem jura & bonas conſuetudines diminuere non intendimus, ſed augere predictis proteſtationibus & decreto tenore preſentium conſentimus expreſſe dantes & concedentes ad ipſius Eccleſie Romane ac ejusdem Domini ſummi Pontificis & ſucceſſorum ſuorum conſervationem juris atque cautelam, has noſtras litteras conſenſum noſtrum ejusdem proteſtationis ac decreti expreſſum continentes Imperialis bulle auree robore communitas. Datum *Laterani* tertio Kal. Julij Anno Domini Milleſimo trecenteſimo XII. Indictione X. poſt noſtrum ſceptrum Imperij Diadema regni noſtri Anno quarto Imperij vero noſtri Anno primo.

Ex Codice MS. Vaticano nro. 6198. fol. 44.

CII.

CONFIRMATIO STATVTORVM ECCLESIAE COLLEGIATAE ASCHAFFENBVRGENSIS.

Uriel *&c.* ad perpetuam rei memoriam. Cum ad Regimen curæ paſtoralis, licet immerito, vocati ſumus, dignum ducimus, ut his, quæ pro Eccleſiarum decore, perſonarum pace, ac tranquilitate, divini cultus augmento, atque adverſus defectus, nec non pro ſalubri gubernatione & conſervatione religionis & omnis honeſtatis ſtatuuntur, & ordinantur, noſtræ ordinariæ authoritatis etiam robur adjiciamus. Sane pro parte Honorabilium devotorum nobis in Chriſto dilectorum Decani & capituli Eccleſiæ Collegiatæ Sanctorum *Petri* & *Alexandri* Aſchaffenburgenſis nobis expoſitum extitit; Qualiter ipſi ad juſſum, & præceptum noſtrum quædam ſtatuta ediderint & fecerint, ac eadem ad æternam rei memoriam in ſcriptis redegerint, ſigilloque capitulari muniverint, quorum ſtatutorum & ordinationum tenor ſequitur in hunc modum. Nos *Udalricus Kemerlin* Decanus, totumque Capitulum Eccleſiæ Sanctorum *Petri* Apoſtoli & *Alexandri* martiris Aſchaffenburgenſis moguntinæ dioecoeſis recognoſcimus per præſentes atque ad cunctorum notitiam cupimus pervenire, quod cum retroactis temporibus complures abuſiones & conſuetudines (dicamus verius) corruptelas in noſtra prædicta Eccleſia collegiata hactenus tentæ ſint & obſervatæ, quæ omni juri tam divino

quam

quam humano adverſantur, ex quibus rixæ, alterationes, populi ſcandalum, & quod gravius eſt, animarum periculum oriebantur, eas penitus tam ex noſtro præmeditato conſilio, atque matura deliberatione, quam etiam ex mandato, atque præcepto Reverendiſſimi in chriſto patris & Domini Domini *Urielis* Archi Epiſcopi moguntinenſis Principis Electoris, nec non ſacri Romani Imperij per Germaniam Archi Cancellarij Domini noſtri gratioſiſſimi, quod præceptum gaudenter ſuscepimus atque amplexi ſumus, explodere & penitus delere curavimus, ita ut nullis unquam futuris temporibus denuo reaſſumantur atque innoventur; ſed ſtatutis inferius loco earum ſubnotatis omnes nunc præſentes, & futuræ prædictæ Eccleſiæ perſonæ inviolabiliter utantur, quæ ſtatuta & conſtitutiones ab omnibus prælatis & Canonicis infra nominibus eorum deſcriptis in loco capitulari capitulariter congregatis & capitulum repræſentantibus erecta condita ſunt atque concluſa, nomina vero Canonicorum capitularium reſidentium & capitulum facientium ſunt hæc: *Udalricus Kemerlin* Decanus, *Joannes Kaltofen* Cantor, *Joannes Will* Cuſtos, *Henricus Nidernberger*, *Philippus de Hedertzdorff*, *Rheinhardus Schenck*, *Joannes Walsperger*, *Balthaſar Faulhaber*, *Jodocus Bleycher*, *Henricus Keytzmann*, *Joannes Rechweil*, *Joannes Bigerin*, *Caſparus Schantz*, *Sifridus Schnabel*, *Conradus Rucker*, *Michael Kemerlin*, *Joannes Müller*, *Georgius Schantz*, *Udalricus Mernolffs*, & *Thodericus Zan;* volumus itaque imprimis atque ſtatui-

mus & ordinamus, ut de coetero futuris ejus temporibus nullus prælatus ſive ſit præpoſitus, Decanus, Scholaſticus, cantor, cuſtos vel etiam Canonici aut vicarij in admiſſionibus ad prælaturas Canonicatus & præbendas capituli receptionem, ſeu Vicariarum prandium ſeu collationem ante vel poſt hujusmodi receptionem vel admiſſionem det aut dari conſentiat, ſed loco ejus dabit ad fabricam pro neceſſariorum reformatione ejusdem juxta prælaturas, Canonicatus & Vicarias ultra communia ſtatuta certam pecuniæ ſummam Videlicet Præpoſitus, Decanus, Scholaſticus atque coeteri Canonici tam in admiſſione ad prælaturas, Canonicatus, quam etiam in receptione ad Capitulum Decem, Cantor vero & cuſtos atque Vicarij dabunt unusquisque ultra conſueta eorum ſtatuta Quinque florenos auri, cum vino vero admiſſionis ad hujusmodi prælaturas, Canonicatus & in capitulum receptionem, quod antea ſuperaffluenter effundebatur, volumus ſic obſervari, ut in admiſſione tali Decanus, Canonicus Senior, ſi præſentes fuerint, vel in eorum abſentia proximus prælatus & canonicus ſeniorem ſequentes una cum magiſtris Cameræ prægustent vinum, quod pincerna locet cum caſeo & pane ac eſculentis modicis juxta temporis congruentiam, puta ceraſis piris, pomis, nucibus, pro quibus fabrica ſatisfaciet de pecunia recepta, quod vinum tunc per tales ſic ordinatos electum fuerit, detur perſonis Eccleſiæ, Vicedomino ad caſtrum, ſculteto, duodecim ſcabinis, plebanis & altariſtis, nobilibus in oppido

oppido Aschaffenburgensi, veram non fictam, sed continuam residentiam facientibus, atque officiatis nostris juxta mensuram, modum & formam hucusque consuetas alijs advolantibus sive sint presbyteri, monachi, nobiles, plebei, & qualiscunque conditionis, statusve penitus exclusis; In admissione vero Cantoris, Custodis & Vicariorum prægustent vinum iterum Decanus, Senior Canonicus cum computistis præsentiæ & taliter ab eis electum vinum detur personis Ecclesiæ juxta antiquam consuetudinem hactenus observatam. volumus deinde ac ordinamus, atque statuimus, quod quandocunque aut quotienscunque aliquam ex curijs præbendalibus vacare & vendi contigerit, ut pecunia ipsa inde proveniens non dividatur inter personas capitulares, ut antea factum est, sed ea vertatur in præbendarum augmentum & utilitatem; quatenus personæ residentes uberiorem fructum & laborum suorum mercedem percipere valeant atque ferventiores reddantur ad cultum divinum solicitius perficiendum. Coeterum statuimus, volumus, & ordinamus, quod singulis annis Kalendis Maij quatuor ex Canonicis Capitularibus capitulariter deputari debent ad visitandum & visendum curias & ædes prælatorum, Canonicorum & Vicariorum & quæ ruinosæ & restauratione necessaria egentes per visitatores inventæ fuerint, inhabitatoribus earundem capitulariter injungatur, ut easdem in locis per capitulum ad relationem visitatorum designandis intra certum terminum eis tunc præfigendum restaurent, atque reparent,

quod

quod si lapso diffinito termino in reparatione remissi negligentes, seu contumaces reperti fuerint ex tunc Magister fabricæ Ecclesiæ nostræ Aschaffenburgensis omnes & singulos fructus tam præbendarum quam Vicariarum contumatium & non restaurantium curias & ædes suas termino statuto ad jussum capituli recipere debeat, & exinde curias & ædes hujusmodi restaurare. volumus etiam, quod nullus prælatorum & Canonicorum tempore Vacationum curiarum præbendalium ad optionem de coetero juxta consuetudinem hactenus observatam admittatur, nisi curia sua, quam tempore optionis alterius curiæ vacantis inhabitabat, in debita & honesta structura juxta diffinitionem capituli inventa & relicta fuerit, dolo & fraude semotis & cum in oppido Aschaffenburgensi Reverendissimorum Dominorum Archiepiscoporum Moguntinensium pro tempore existentium alter residentiæ sit locus, volumus & statuimus, ut de coetero nullus ad aliquam Vicariam in prædicta Ecclesia admittatur, qui defectum natalium patitur, & ex legitimo non sit genitus matrimonio, quatenus ipsa Ecclesia personis legitimis a radice honestis moribus insignitis, quibus geniturae macula asscribi non possit, valeat gaudere. plerumque enim ex radice vitiata fructus vitiosus succrescit. ut autem hæc præsentes nostræ ordinationes atque constitutiones Sigillo nostri capituli roboratæ plenius robur & stabilimentum habere possint, prædicto Reverendissimo Domino nostro *Urieli* Archiepiscopo Moguntinensi moderno Domino nostro gratio-

gratiosissimo humiliter supplicavimus, quatenus sua Reverendissima Gratia easdem sua ordinaria aucthoritate confirmare dignetur, ne ullis unquam temporibus a quoquam valeant infirmari, aut quomodolibet infringi. datum sub sigillo nostro, die tertia mensis Septembris Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo. Quo magis autem dicta statuta viribus subsisterent, fuit nobis per dictos Decanum & capitulum humiliter supplicatum, ut ea ratificare, authorizare & confirmare dignaremur; Nos autem Ecclesiarum & personarum utilitatibus & honori consulere volentes, prædicta statuta, prout supra edita, facta & ordinata sunt, tenore præsentium authoritate nostra ordinaria ratificamus, authorizamus, approbamus, & confirmamus, Vobis igitur omnibus & singulis prælatis, Canonicis & reliquis dictæ Ecclesiæ beneficiatis districte præcipiendo mandamus, præinserta statuta inviolabiliter deinceps observare poenas condignas evitaturi. nostris tamen & Ecclesiæ nostræ moguntinensis juribus & superioritatibus semper salvis manentibus. datæ in arce nostra *Steinheim* sub sigillo nostro die quarta mensis Septembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo.

CIII.

CIII.

CONFIRMATIO CVIVSDAM STATVTI ECCLESIAE FRITZLARIENSIS DE VINO ADMISSIONIS ET CENTVM FLORENIS SOLVENDIS.

Bertholdus &c. ad futuram rei memoriam. Cum rationi congruat, ut ea, quæ juſtis ex cauſis per capitula Eccleſiarum nobis ſubjectarum ſtatuuntur, noſtra etiam auctoritate roboremus pro parte ſane devotorum nobis in Chriſto dilectorum Decani & capituli Eccleſiæ Sancti *Petri* Fritzlarienſis noſtræ dioecoeſis Nobis exponitur, quod priſtinis temporibus intrantes ad præbendas ibidem vinum pro admiſſione in poſſeſſionem dare tenebantur, quod ad gravem impenſam aſcendebat; ut autem admiſſio firma & uſus circa eam reliquarum Eccleſiarum conſuetudini conformior fiat, capitulum prædictum ſtatuiſſe modum in antea apud præfatam Eccleſiam obſervandum, cujus quidem ſtatuti tenor ſequitur in hunc modum: In nomine Domini Amen. Nos Decanus, Cantor, totumque Capitulum Eccleſiæ Sti *Petri* Fritzlarienſis convenientes in unum in loco capitulari Eccleſiæ noſtræ prædictæ Anno Domini MCCCCXIIII°. Sabbatho poſt feſtum ſancti *Martini* propter certas cauſas & utilitates Eccleſiæ prædictæ mutando ſtatutum olim, ex quo quilibet canonicus ejusdem Eccleſiæ, cum in primis ad præbendam receptus fuerit, Vinum Elſaticum nobis, Vaſallis Eccleſiæ, conſulatui ac pluribus alijs pro vino admiſſionis daba-

dabatur &c. nunc vero ſtatuimus & ordinamus, quod novus Canonicus in antea ad præbendam recipiendus, cum admiſſus fuerit, teneatur infra menſem proxime futurum ſolvere centum florenos Rhenenſes ad utilitatem Eccleſiæ noſtræ prædictæ convertendos, & quatuor Omas vini Rhenenſes, quarum duas pro conſulibus, ſcabinis & alijs officiatis eorum, quibus olim dabatur, ſic quod ipſe conſulatus hoc vinum diſtribuat, reliquas vero Omas nobis inter nos ac membra noſtra & Vaſallos Eccleſiæ diſtribuendas dare debet, ſalvis tamen noſtris alijs ſtatutis illæſis permanentibus; fuitque nobis nomine præfati Decani & Capituli humiliter ſupplicatum, ut præmiſſum ſtatutum confirmare & autorizare dignaremur, perpenſis igitur multis rationibus & cauſis ad dictum ſtatutum condendum moventibus id confirmamus & approbamus, authoritateque noſtra ordinaria confirmamus & approbamus per præſentes, volentes id deinceps inviolabiliter obſervari. datæ in oppido noſtro Fritzlarienſi ſub ſigillo noſtro XVII. Novemb. Anno Domini MCCCCLXXXX tertio.

CIV.

CIV.

CONFIRMATIO ANNECTIONIS QVORVNDAM STATVTORVM IN ECCLESIA COLLEGIATA SANCTI MAVRITII MOGVNTIAE.

Joannes *Gutwyn* Licentiatus in Decretis Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini *Theoderici* ſanctæ Moguntinæ ſedis Archi-Epiſcopi electi confirmati in Spiritualibus Vicarius Generalis univerſis & ſingulis præſentibus inſpecturis ſalutem in Domino, ipſisque cum obedientia dare fidem. Cum ſtatuta & ordinationes, quæ temporibus perpetuis obſervari debent, nimia roboris firmitate corroborari non poſſunt, hinc eſt, quod provide perpendentes Venerabiles, & circumſpecti Viri Domini Scholaſticus, Canonici, & capitulum Eccleſiæ Sancti *Mauritij* Moguntinenſis in divini cultus augmentum, & ut officia divina in jam dicta Eccleſia eo ferventius & uberius celebrentur, ſtatutis & conſuetudinibus dictæ Eccleſiæ Sancti *Mauritij* hucusque tentis & obſervatis ordinationes ſive ſtatuta infraſcripta annectere, eaque temporibus perpetuis inviolabiliter obſervari volentes, Nobis humiliter & una voce & concorditer ſupplicarunt, quatenus ipſa per noſtri decreti interpoſitionem authoritate noſtra ordinaria confirmare & corroborare dignaremur, ne inpoſterum per ipſos aut aliquem ipſorum, ſeu eorum ſucceſſores conjunctim vel diviſim dicta ordinationes & ſtatuta, quoquam contingat infringi;

Nos

Nos igitur Joannes Licentiatus & vicarius præfatus hujusmodi ſupplicationibus tanquam juſtis & rationabilibus inclinati prælibatos Dominos Scholaſticum, Canonicos, & capitulum in ſuo laudabili propoſito confortare cupientes, ipſa ſtatuta, & ordinationes prioribus dictæ Eccleſiæ Sancti Mauritij Statutis & conſuetudinibus annectenda, de ipſorum Dominorum Scholaſtici, Canonicorum & capituli communi conſenſu pariter & aſſenſu fore decrevimus & decernimus præſentium per tenorem, prioribus tamen ipſius Eccleſiæ ſtatutis & ordinationibus in ſuo robore permanſuris, in cujus rei teſtimonium Sigillum noſtri Vicariatus officij præſentibus eſt appenſum datum Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexto die mercurij undecima menſis aprilis, tenor vero ordinationum ſive ſtatutorum, de quibus ſupra fit mentio, de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis: Inprimis ſtatuimus & ordinamus ac prioribus noſtris ſtatutis annectimus & adjungimus, Quod in quatuor feſtis principalibus ac dedicatione Eccleſiæ & in die Sancti *Mauritij* Patroni noſtri volentes deſervire præſentias teneantur intereſſe primis & ſecundis Veſperis matutinis atque miſſæ, non prætendentes per hoc tollere ſuſpenſionem, quam abſentes in primis Veſperis dictarum feſtivitatum incurrunt. Item ſtatuimus & ordinamus, ac prioribus noſtris ſtatutis annectimus, & adjungimus, quod in alijs feſtis novem lectionum, utpote feſto glorioſæ Virginis *Mariæ* Sanctorum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum & Sanctarum, in quibus

 præ-

præſentiæ habentur, eas deſervire volentes in primis Veſperis ſint per majorem partem veſperarum & in miſſa ab epiſtola usque ad elevationem incluſive. Item in eisdem feſtis, quibus præſentiæ non habentur, & diebus dominicis abſentes in miſſa ab epiſtola usque ad elevationem incluſive mulctentur, quilibet in tribus Hallenſibus ad fabricam, ſeu uſum dictæ noſtræ Eccleſiæ convertendis, quos unusquisque, ut præfertur, abſens in proxima computatione futura tradere & perſolvere tenetur contradictione qualibet ceſſante. Item ſtatuimus, volumus & ordinamus, quod in vigilijs mortuorum præſentias deſervire volentes intereſſe teneatur a tertio reſponſorio usque ad pſalmum *Miſerere mei Deus &c.* incluſive. Item ſtatuimus & ordinamus, quod Ebdomodarius pro tempore exiſtens per ſe vel per aliam perſonam miſſam legendo vel cantando juxta exigentiam temporis reſpicere teneatur per ebdomadam ſuam, quod ſi uno duobus vel pluribus diebus debite non fecerit, a perceptione præſentiarum ſit ipſo facto ſuſpenſus per unius integri menſis ſpatium, & nihilominus ad intereſſendum divinis officijs ſit adſtrictus, & quidquid durante dictæ ſuſpenſionis termino deſerviverit, id totum ad fabricam ſeu uſum Eccleſiæ noſtræ præfatæ convertatur. Item ſtatuimus, volumus & ordinamus, quod præſentiæ in decantatione antiphonæ: *Salve Regina &c.* a feſto Sanctæ Trinitatis usque ad quadrageſimam deſerviendæ prout & quemadmodum in libro præſentiarum continetur & deſerviatur. Item ſtatuimus

mus & ordinamus, quod in omnibus ſtationibus ſeu vigilijs mortuorum præſentias ſpeciales non habentes præſentiæ in libro præſentiarum eodem die ſcriptæ exeundo & redeundo deſerviantur, prout ſcriptæ ſunt; non intendimus tamen per has noſtras ordinationes a prioribus noſtris & Eccleſiæ noſtræ ſtatutis & ordinationibus quoquam recedere; Inſuper nos *Joannes* Licentiatus & Vicarius præfatus proceſſum alias contra in duobus locis præſentias deſervientes, quantum ad Eccleſiam Sancti *Mauritij* propter præbendarum & beneficiorum exilitatem tollimus, permittentes quod ibidem beneficiati modo, ut præmittitur in dicta Sancti *Mauritij* ac alijs Eccleſijs exiſtunt, juxta hucusque tentam conſuetudinem præſentias deſervire poſſint & Valeant præſentium per tenorem.

CHAR-

CHARTAE MONASTERII RAVENGIRSBVRGENSIS RESIDVAE. *)

CV.

EIN DRIESCHER WEINGARTEN ZV CARDEN.

Ich *Petrus Emich* von *Carden* Vicarius da ſelbs erkennén vor mich und meyr irben jn Craftt dis brieffs das ich erplich und ewiglich beſtanden han und beſtehen jn aller beſten formen und wyſſe wie das jm rechten ader gewonheit allerbeſt crafft und macht haben ſall und magh umb die erberen und geiſtlichen hern Prior und convent des cloſters *Reuersburgh* regulerer ordens mentzer byſtumbs eyn ſtucke dryeſch von alters eyn wingart geweſen des ytz gemelten Gottshuſs zu *Carden* gelegen gegen des profts huſs uber der bach tyrm genoſſen oben zu die dhum herrn zu *thrier*, neden zu Kuelheups erben jn dem Syeſſen dar von ſal ich *Petrus* obgemelt, meyn erben ader Inhelter

*) Chartarii Ravengirsburgenſis monaſterii nobis amice communicati partem unam exhibet Tomus ſubſidior. Diplom. quintus a pag. 396. usque 448. alteram Tomus ſextus pag. 121 — 192. Nunc damus reſiduam. quælibet charta, ut ut modica et exilis videatur, vel ſi perſonas vel ſitum loci paucis cogniti perpenderis, uſui ſuo aliquando eſſe poterit.

ter dis brieffs alle jare zu hyrbst, unuerzuchlich liebern und geben süllen zu rechten ewigenn Zins zwey fyrtel wins Thryser werunge den obgemelten herrn jn jeren hoff zu *Thris* ader zu *Carden* wie ich meyn erben ader Inhelder dis brieffs des von Jerem hoffman daselbs bescheyden werden und das also erplich und ewiglich hantreichen auch füllich stuck jn gutten buwe und besserunge brengen, unnd halten wie dan gutten yrbs recht gewonheit und notturfft erheyst und ab Jch *Petrus* obgemelt, meyn erben ader inheltter dis brieffs an reychung des zins oder besserunge des yrbs wie obgemelt ist, sumich wurden des doch nit seyn fall und von den vorgenanten hern ader yeren hoffman ader yemants von yerentt wegen, ersucht und jn monts frist ungeuerlich nit gebessert wurde, mogen obgedecht prior und convent jr yrbe als dan wydder zu yren handen nemen. damit brechen und bussen zu jerem gefall als mit andern yers Gotshuss guttern sünder ersuchung alles rechtes auch jn clage ader hindernis meyner ader myner erben ader Inhelttern dis brieffs obgedachten Des zu merer wrkunde dwyl ich petrus eygen Ingesigel nit enhan hab ich gebeden den ersamen und wirdigen hern *Conrat Thaderait* pherner zu sant *Mergen* bynnen *Carden* das er sin Ingesigel vor mich undern an dissen brieff wyl hencken mich meyn erben und Inheltter dis brieffs zu besagen aller obgeschiebener puncten und artickeln Des ich *Conrat* pferner vorgenant bekennen und füllichs flisslicher bede halben des obgemelten

 herrn

herrn peters gedhan habe Geben jnn dem jare als man Schreiff dusent funffhundert und zehen.

CVI.

DRITTHALB SESTER OLEYS.

Ich *Volcker* von *Enckerich* gehetz in Kelner dun kunt allen den die diffen brieff sehint oder horit lesen das ich von meyn erbin Schuldig sin ewiglich dem Gotshuse zu *Reuengirsburch* und nemlich zu der Kosteryen dritrenhalben sechster oleys alle jare jn den ersten vier tagen der vasten zu geben uffer meyme backhuse und dem obersten gartin da by zu male bit allen den Baumen die darzu horint das ich vor mich und alle meyn erben intphangen han von eym proibste des vorgenanten Gotshuss von *Reuengirsburch* wannde ich und meyne alt vorderin das Gut hattin hie vor vor herin *Johan Kesin* eyme ritter von *Dille* und siner frauwin *Ylen* und vergehin dez in disme geynwurtigen brieff da dis geschah das ich das gut nit pfingk von dem vorgesprochin proibste umb den Zinse als hie vor geschrieben ist da warin by ersame Lude *Johan der Centener Gobelo der da centener* wass *Bulman Johan* jn *Schard Symon Conrad* den man Sprichet *reyneman Steffenen* von *Enckerich Johan* von *Wannerotb* eyn edelman und *Johan* der Kelnere und ander birner Lude gnuch und zu merer stedickeide und urkunde so han ich Volcker der vorgeschriebin gebedin den Ersamen man hern

peter

peter den Kircherrn von *Enckerich* das er diſſen brieff beſigelt hat und ich *peter* der Kircherre vorgeſprochinn durch beden willen des vorgenanten *Volckers* han meyn Ingeſigel an diſſen genwurtigen brieffe gehangen zu einer beſtedunge aller diſſer vorgeſchriebenen dinge, Dirre brieff wart gegebin da man zalte von Criſtis geburte duſint jare druhundert Jare in dem dru und zwentzigſtem Jare an Sant *Mathias* tage des apoſtelen Dieſſe vorgeſchriebene dinge geſchagin zu *Enkerich.*

(24. Febr.)

CVII.

LITTERA SONANS DE DECEM TALENTIS PERTINENTIBVS AD MISSAM COTTIDIANAM.

Wir *Otto* der Probſt und der Convent vonn *Reuengerſsburch* thun kunt allen den dye dyſs brieff ſehent ader horent leſen das wir hain von ſeligen herren *Johan Keſin* eynen Ritter *von Dylle* und ſyner Elicher frauwen *yden* zehen phunt und hundert phunt heller eyne ewige gult zu Keuffen unſs herrn gemeinlich jn dem Chore vor yrer und yrer frunde ſelen und wan wir und unſſe gotteshuſs Schuldigk und bekomert ſin ſo hain wir daſs gelt genommen und han jn gegeben jne unſers gotshuſs Scholt und hain dar vor belacht Eilff phunt heller geldes uff unſſern hoiff und unſſer gudt zu *Dieppach* Dye gult ſall Valln alle

 jorlich

jorlich jn den vier helgen tagen zu wyhenachten bit absolichen vorworten wann wir Probst und Convent vorgenant oder unsser nochkomelingen Eylff phunt heller geldes gekeufft off bygenden gude also das Scholtessen und Scheffen yn dem gericht do dass gut gelegen ist sprechent das die gult uff solichem gude woll belacht und unsserm Gotshusse woll gelegen sy so sall unser hoiff und unsser gudt zu *Dieppach* von der vorgenanten gulte ledig sin und solln von unss so vorwert halten an das gekaufft gut vor die selbige gult und wir probst und Convent vorgenant geloben alle dysse dinge stede zu halten bit eyner rechten Satzung bit alsolichen vorworten als vorgerert ist und zu eyner merer stedicheit so hain wir dyssen brieff besiegelt bit unsserm Ingesiegel. disser brieff wart gegeben do man zalt noch Cristus gepurt dusent jare dru hundert jar in dem nune und zwentzigsten jar an Sant *Augustinus* tage. (28. Aug.)

Collationata est prescripta copia per me Johannem Schauff de Engers sacra Imperiali auctoritate Notarium, que de verbo ad verbum cum suo originali concordat. atteſtatur manu propria.

Sic subscripta sunt omnia documenta Ravengirsburgensia in hoc libro copiali contenta, quæ Tomo V. Subsidior. Dipl. pag. 396 — 448. et Tomo VI. Subsid. Dipl. pag. 121 — 192. dedimus et hic continuamus.

CVIII.

CVIII.

DAS FARE ZV THRYSS.

Wir *Otto* der Probſt unnd der Convent gemeynlich von *Revengirsburg* vorgehen unns offentlich an dieſſeme brieffe das des fares zu *Thryſs* ein vierteil iſt unſſers cloſters und eyn vierteil der dhum herren von *Thriren* und *Wilhelms* ſelgen hern *peters* Sones von *Thriſs* das anderhalp deyl und vor probſt iſt unſſers cloſters oder unſer hern eyner in des . . probſtes wegen und der dhum herren eyner von *Thriren* und der vorgenant *Wilhelm* ſollen by eyn ſin zu *Thriſs*, ob wir mogen yedes jars uff den negedes ſuntag na unſer frauwen dag nativitas und ſullent ſamet eynen feren ſetzen eynen beſcheiden man der uns aller meynſt dan abe gibit wel unſſer aber da mhe ſin nach op de zyt ſo ſullent die andern die da ſint ſynen boden ob ſie den haben mogent dar zu nemen und ſullent das var legen als da vor geſagit iſt beyde jnn jeren wegen und jn ſine wegen an argeliſt wer aber das ab der proſt oder eyn her von dem cloſter oder Keyn dhum herre von *Thryer* nicht dar qwem ſo ſal *Wilhelm* und unſſer und de dhum hern hebe man ader bode das fare byt ein lien, aber ſo ſie aller dureſt megent und eynem beſcheidenem man dem ſal dan *Wilhelm* die hant da reichen von unſſer aller wegen an argeliſt und was nutz von dem fare fellet, yt ſy von rechter gulden ader von lepneſſe das ſal alwege eyn Virtel ſin unnſſers cloſters und der dhum hern ein virtel

 und

und das ander teyl wilhelms und dar na das ye die partye recht hat an dem fare als da vor geschrieben ist darnach sal sie auch Kost thun eyn Schiff zu machen wan iss noit ist, das na gene ober drage uff das diss stede und veste sy, so han wir dis Ingesigel an dissen brieff gehangen Dirre briep wort gegeben da man zalt von Cristes geburte druzehen hundert jare und drisigh Jare in dem zweide jare an des helgen Crutzes dage vor herbste.

(14. Sept.)

CIX.

EIN WEINGART IN DER ERSHELDEN IM BINGERFELDE.

Wyr *Werner* der probst und der convent gemeynlich von *Reuengersberg* thun kunt allen den die dyssen brieff gesehen ader horent lesen das wir hain geluhen zu Erbeschafft *Thielen* dem wuntartzt von *Bingen* und *Cristmen* syner magt unnd den Kinden die sie mit eyn habent unssen wingart der do ligt jn der Ersshelden jn Binger velde also wan stemcht mee sin das der Kynde eyns das aldest oder wilckers sie wollen under jren Kinden den wingart ungetheilt alleyn habenn sall und das sie den wingart binnen diesen ersten vier jaren sollen woll roden ober alle byt yrer Kost und auch darnoch so dick Jss noit geschyt und sollen jne allweghe ye zu eicht Jaren woil misten ober all byt Jrer Kost und sollen jme anders rechtlich

und

und gewonlich buwunge anthun zu rechter zyt alle jare und der wingart ſall ganz verlyben ungetheylt und ſollen ſie uns von dem wingart alle jare geben das drytteyl des wines des ſie do zwey theyle nement und ſollent nicht leſenn one unſern botten und ſollen uns unſer theil als recht iſt antworten Jn unſer Kelter zu *Bingen* wers daz ſich ſumpten an rodenn ader an myſten ſo mogen wir Jne eym andern Lygen ſument ſie ſich aber an den andern vorgeſchriben dingen ſo mogen wir yne darumb yre theils wines von dem wingart des jares uff halden und nemen byt ſie daz gebeſſeren. Geſchicht iſs aber mee noit, ſo mogen wir Jne den wingart aber byt dem wyne nemen und uns halten ader eyme andern lyhen und uff daz dyſs ſtede ſy ſo hain wir unſe Jngeſiegell an dieſen brieff gehangen Dyrr brieff wart gegeben do man zalte von Chriſtus geburt Druzehenhundert und dryſſig Jare in dem neheſten Jare darnoch an Sant *Ageneſs* tag. (21. Jan.)

CX.

ANNIVERSARIVM ORDINATVR.

Wir *Emelrich* der Probſt und der Convent gemeinlich von *Reuengersburch* veriehen uns offentlich an diſſen brieff das wir hain verkaufft dem Erbarn mane herrn *Johan* eym Capellane zu *Schluerſchit* zwolff phunt heller geldes ewiger gulte zu geben alle jorlich uff unſer frauwen tag purifica-

rificationis umb anderhalb hundert phunt guter heller die er uns darumb gegeben und woll bezallt hait und die wir jn nutz und noitturfft unsers stiffts gewant hain die selben zwolff phunt geldes hain wir Jn bewiset uff unser gudt zu *Enckerich* das er sich mag wan yeme dye vorgesagt gult uff die vorgeschrieben zytt nit gegeben wurd halten an das selbe unser gudt zu *Enckirch* als do eyn recht yst ane widdersprach und ane alle hindernyss unser und der unssern vorbas mee wan der megenant *Johan* nicht en ist so sollen die selbe zwolff phunt geldes fallen zu eyme rechten selegerde dem probst und dem Convent zu *Reuengersburch* also und uff alsoliche zytt als hernoch geschrieben steyt bit namen uff Jargezide des selben *Johans* und synes Vaders und syner muder und ander syner frunde die er dar zu benennet zwey phunt geldes anderwerbe zu den dryen fronfasten vor hirbste und vor wihenachten und yn der fasten zu ygklicher eyn phunt geldes und uff Sant *Johans* tag *evangelisten* eyn phunt geldes unssern priestern die uff den tag myss sprechen und darzu alle degelichs vier hellern den zweyen priestern dye uff unserm Chor fruemyss und fronmyss singent alle dyse vorgeschrieben dinge geloben wir zu thune und zu halten mit guten truwen one allerley argelist und hain des zu eyner warheit dyssen brieff besiegelt bit unssern Jngesiegellen Datum Domini Mccccxxxv°. Jn die Sancti *Urbani* & Martyris. (25. Maij.)

CXI.

CXI.

IN HEIDESHEYM VNA LIBRA HALLENSIVM.

Noverint univerſi preſencium inſpectores quod nos *Jacobus Mulner* & *Gela* conjuges legittimi de Heidesheym juſto venditionis tytulo vendidimus religioſe puelle *Lyſe* de *Schowenburg* moniali in *Revengerſsburg* libram hallenſium bonorum legalium ſingulis annis eidem *Lyſe* ſeu cuicunque vel quibuscunque legaverit vel deputaverit in feſto beati *Martini* yemalis perpetue preſentandos. Inter pignora vero reſignata coram juratis dicte ville ſunt dimidium juger vinee in *Eudesheym*. Item dimidium juger agri in *Oſtervelde* apud ſex jugera Prepoſiti de *Revengirsburg*. Item dimidium juger prati juxta ripam ime luitdale. Item curiam & domum apud fontem. Item ortum in burlegaſſe. In cujus rei teſtimonium preſentes litteras ſigillo diſcreti Viri Domini *Petri* plebani noſtri in *Heidesheym* dedimus communitas. Et Ego *Petrus* plebanus predictus omnia & ſingula premiſſa mediantibus juratis vera recognoſcens ad petitionem predictorum *Jacobi* & *Gele* meorum parochialium ſigillum meum preſentibus appendi in recognitionem omnium premiſſorum. Datum Anno Domini M°CCC.XXXVII°. In Dominica ſecunda in qua cantatur *Reminiſcere.* Acta vero ſunt hec preſentibus *Johanne* & *Gerardo* Advocatis *Petro* plebano *Johanne* piſtore *Jacobo* Carpentario,

Ditmaro

Ditmaro & *Jacobo* fabri Scabinis & alijs quam pluribus fide dignis. (16. Mart.)

CXII.

ANNIVERSARIVM DE BONIS QVIBVSDAM IN THRISS FVNDATVR.

Wilch mann ader frauw keinerley unflat er Sy ein leſſer ader ein ander mann jn Mentze vor ymands huſs ader hoff in die gaſſe dut dragen ader ſetzen und unflut dut ader ſchaffet ader ſchuddet mag mann jne des bereden bit einem biddermanne ader frauwen das mann jne fur eyn halb punt heller penden mag als dicke er das brichet ader er ſal ſich des enſlahen mit ſinem eyde.

Wilch

Wilch jude einen unſern burgern heiſchet jm zu helffen zu ſiner ſache zu judiſchen rechten der ſal geben funff punt heller der ſtat zu beſſerunge und hieuon den er darzu heiſchet der ſal uſs mentze faren einen mant zu beſſerunge.

Wilch burger zu Mentze geſaltzen fiſche ader grune fiſche fleiſch geſaltzen dorre ader grune keuffet umb einen gaſt der ſal eſs jm geben uff die zyt als er eſs jm globt wo mann jne des mit guder kuntſchafft bereden mag man ſal jne dafur pfenden was die meiſter ader einer Sprichet wer ſie des widderdribet und das widderredet er ſy jn dem rade ader uſswendig der ſal uſs mentze faren eyn vierteil jars.

Der einen Kauffman Slehit ader reuffet umb das ſin der ſal beſſern glicherwiſs als hette ers einem burger getan.

Wilch mann den andern angriffet zu Mentze ane gerichte und ane clage der ſal farn uſs Mentze ein vierteil jars eſs ſy dann das mann jm recht verſage.

Wilch burger einen kummer wil dun der ſal jne mit der meiſter orlob dun eſs ſy in mentze ader uſswendig mentze und ſal den kummer den burgermeiſtern antwerten ob ſie jne heiſchent. und thut er des nit er ſal uſs Mentze faren ein vierteil jars und ſal darnach thun als das mererteil des Rades Spricht.

Das nymant der zu Mentze wonet unſer burger eſs ſy frauw ader mann laden ſal den andern

umb

umb Scheltwort kommet der cleger vor die burgermeiſter und claget jne das die ſollent jne heiſſen das er abelaſſe und tede er des nit ſo ſal er einen mand uſs Mentze faren und ſal doch abelaſſen vom laden.

Wem die meiſter frieden gebiedent zu halden bricht er den mit den wercken ſo ſal er zwey jare uſſer mentze faren bricht er den aber mit den worten ſo ſal er uſs mentze faren ein halb jar der mann ſal usfaren und die frauwe ſal inligen ader uſsfaren.

Wer ymant in Mentze der in dem frieden nicht en iſt der unſer burger leidigen wulde und wolde nit beſſerunge von jm nemen als unſer meiſter beſcheidelichen duncket adir auch nit beſſerunge thun als auch iſt beſcheidenlich ſo mogent die meiſter unſern burgern orlob geben gewepniſſe zu tragen.

Was unſer burger in dem Rade ymant in dem rade befelhent zu uerrichten wer in dem rade dawidder iſt der ſal einen mand uſs dem rade ſin und wer uſswendig des rades dawidder iſt der ſal viertzehen nacht uſs der ſtat faren.

Jſt das ymant an des andern erbe ſitzet uber ſine zyt als es jm geluhen iſt kommet er des das erbe iſt zu den meiſtern und claget jne das ſo ſollent die meiſtern jm gebieten das er in achtagen das erbe rume tud er des nit ſo ſal er ein vierteil jars uſs Mentze faren ader ſal zubringen mit wilchem rechten er darynne bliben ſolle.

Jſt das keyn burger den andern ledit an geiſtlich gerichte kommet der da geladen iſt zu den burgermei-

germeiftern und Suget das in den viertzen nachten als er geladen ift fo follent die meifter jm gebieten der jne geladen hat. das er von der Ladunge laffe und claget er das nit in viertzehen tagen fo mag Jhener fine clage vollenfuren und wolde er gehorfam fin den meiftern fo fal er von der clage laffen thud er des nit fo fal er ein vierteil jars ufs Mentze faren.

Das mann keine wunden ader flahen mit waffe*) verbeffern fal ane einen tod flag dem fal mann verbeffern mit zwentzig punden wachs und nit me waffes die ander befferunge fal er dun als die frunde zurade werdent die pene ift ein jar und was das mererteil des rades Sprichet.

Das nymant kummern fal ane laube der meifter er en fy jm dann felbs Schuldig und wer die laube hat der fal den kummer legen in der meifter hant und nit anders damitde thun dann als das mererteil des rades Sprichet uff einen dinftag ane argelift. wer das brichet der fal eyn vierteil jars us Mentze faren.

Wer in dem Rade ader ufswendig des Rades der fache hette dauon der ftat kein kummer ader krodt **) komen mochte kommet das vor die meifter ader vor den Rat der fal lyden was das mererteil des rades ader der rat daruber Sprichet uff einen dinftag folget er des nit und ift dawidder der fal ein vierteil jars ufs Mentze faren und fal es doch ftede halden.

Wer

*) Wachs.

**) Krot, moleftia, inquietatio.

Wer ymant in dem Rade der nach ſinem Synne ein ding anherten *) wolde von was ſachen das were den ader die ſollen die meiſter ader jrer einer heiſſen uſsgeen ader nit ſtede halden des ſie uberkomment der ader die ſollent ein vierteil jars uſſer Mentze faren ader Jnneligen bis das der wunde ader der geletzigte gewandern mag ob er des nit entede ſo ſal er der beſſerunge zwo thun als dauor geſchreben ſteet.

Wir nemen der ſtede pfaffheit ſchriber und diener und jr geſinde in unſern frieden alſo ob der keyner miſſetat der ſal beſſern als der rat uberkommet.

Wer in der ſtede beſſerunge uſsferret der ſal ſich in den ſchiffen nit enthalten er wolde dann zu rechte hinweg faren wer das brichet der ſal der beſſerunge zwo thun.

Wer kummer wil thun Wer das ſache das er die meiſter nit alsbalde han enmochte ſo mag er kummern alſo das er den kummer lege in eins biddermannes eins burgers hant bit an die meiſter ader an eynen.

Jſt das ymant eſs Sy frauw ader mann bit keinem ſunderlingen herten wirt jnwendig dem ziel als unſer burger friede geſtalt iſt der ſal als dicke als er das thud einen mand uſs Mentze ſin und die frauwe jnnelegen.

Alſoliche ſatzunge als gemacht iſt uber das kauffuſs zu Mentze und aller der ſatzunge artickel und

*) mit arreſt beſtricken, Sich bemächtigen.

und ſtucke wer die brichet er ſy wirt ader underkeuffer ader jn Mentze wonhafftig iſt und als dicke als er das bricht ſo ſal er einen mand uſs mentze ſin wann es jm geboden wart und die frauwe jnnelegen einen mant.

Wilch leye zu Mentze geſeſſen iſt und ſich da generet und geweret ledet der einen andern leyen umb werntliche ſchult an geiſtliche gerichte Jſt das ſache das der mann der da geladen iſt vor die meiſter kummet und da lyden wil in viertzen tagen des man jne bereden mag mit unbeſprochen luden umb die Schult darumb er geladen iſt das ſal der cleger nemen der Jne geladen hat ob der cleger des nit tede ſo ſal er einen mant uſs Mentze und darzu ſtede halden das geſetze. Jſt aber das der da geladen iſt der beredunge nit lyden wil vor den meiſtern ſo mag der cleger ſine ſache follenfuren da er ſie mit gerichte angefangen hatte ane pene.

Wilch leye ledit einen andern leyen umb werntliche ſchult vor den Ertzpriſter gebiedent jm die meiſter in den viertzen nachten das er dann abelaſſen ſal, tud er des nit ſo ſal er einen mant uſs mentze faren.

Eſs ſin auch in den genommen ſunderlich und mit namen cloſter zu Aldenmunſter zu Sante claren zu den wiſſenfrauwen zu Sant Agneſen und zu Dalen alſo wer dieſelben frauwen und jr geſinde ader jr gut angriffe das der freuelt glicherwiſe als an einem burger Weres auch ſache das jr geſinde fre-

freuelte die follent die buffe halden als das merer-teil des rades uberkommet.

Mit diefen felben vorworten fint auch in dem frieden die guten lude *) und der Spittal und alles jr gut und jr gefinde.

Hie hat der Stedebuch ein ende.

*) Leproforium.

CCIV.

INSTRVMENTVM SVPER ELECTIONE WILHELMI DE WALDECK ABBATIS AD S. JACOBVM.

Per hoc publicum inftrumentum cunctis ipfum vifuris, lecturis, feu audituris, maxime tamen his, quorum intereft, aut intererit, pateat evidenter, quod fub anno M.CCC.LXX.III. indictione XII. Pontificatus SS. *Gregorii* Papæ undecimi anno III. die XV. menfis Julij hora ejusdem diei prima, vel quafi, in monte monafterij S. *Jacobi &c.* & ibidem in horto Curiæ, habitationis Religiofi Domini fratris *Wilhelmi de Waldeck* Prioris ejusdem monafterii in mei publica Imperiali auctoritate Notarij, & teftium infra Scriptorum præfentia conftituti Religiofi viri.

Wilhelmus de Waldeck Prior prædictus.
Godefridus dictus *Ritz.*
Theodericus Von *der müln.*

Petrus dictus *Sultz.*
Nicolaus de Schauenburg.
Joannes de Monzenheim.
Emmerich de Lorch.
Cuno de Gearstein.
Arnoldus dictus *Koth.*

Conventuales dicti monasterii & totum Conventum ipsius, ea vice repræsentantes, & propter infra Scripta ibidem in simul capitulariter congregati, dixerunt & proposuerunt expresse, quod de concordia & pace inter futurum Dominum Abbatem & Conventum ejusdem monasterij temporibus de futuris observandis & habendis, & ne dissensiones altercationes atque rixas retroactis temporibus inter Dominos Abbates, & ipsum Conventum sæpe & sæpius habitas & subortas contingeret iterato haberi & suboriri, & ad evitandum easdem, quam plurimum tractaverint, & super nonnullis articulis &c. unanimiter concordaverint observandis &c. & eorum quilibet pro se ipso juravit, ad SS. Dei Evangelia, quod si quis in Abbatem dicti Monasterii proficeretur, vel eligeretur, ac Abbatiam ipsius Monasterii S. *Jacobi*, tunc ex morte Dñi *Voltzonis* de *Lorch* novissimi Abbatis vacantem obtineret, & consequeretur, quod ille eosdem articulos, ac in eis Contenta debet & tenetur observare, & contra eos, seu eorum aliquem nunquam facere vel venire dolo & fraude cessantibus quibuscunque, quoque electus talis, qui in Abbatem ex eis eligeretur, statim post electionem de se factam jurare deberet eosdem

dem articulos &c. inviolabiliter obſervare, nulla ex cauſatione ſeu occaſione eidem in contrarium quomodolibet ſuffragante fuit etiam per commemoratos fratrem *Wilhelmum* Priorem, & omnes ſuperius nominatim expreſſos concordatum condictum, & in dicto juramento comprehenſum, quod ſi quis ex eis, aut inter eos, in Abbatem ut præfertur eligeretur, quod idem electus ſuo conventui & ipſius Conventualibus litteram vulgarem, & in vulgari conſcriptam, hujusmodi articulos, & omnem eorundem effectum continentem ſigillis honorabilium Dominorum.

Henrici dicti *Bayer* Decani.

Emichonis de *Waldeck* Canonici Eccleſiæ Maguntinenſis.

Friderici de *Waldeck.*

Wilhelmi de *Scharpffenſtein.* armigerorum dare & tradere deberet &c.

Tenor vero dictorum articulorum per omnia fiat, & eſt talis.

Item Abbas non conferat præbendam niſi de Conſenſu totius Conventus, vel majoris, aut ſanioris partis.

Abbas non emancipabit aliquem de Scholis, nec aliquem recipiet ad Capitulum, niſi de Conſenſu Conventus, vel majoris ſeu ſanioris partis.

Item Abbas non artabit Conventum ad dandam ſcholari in ſcholis exiſtenti altiorem præbendam quam huc usque eſt obſervatum.

Abbas ſervabit ſervitia conſueta, ut hucusque ſunt obſervata.

 Item

Item Abbas & Conventus, non dabunt alicui personæ præbendam nisi sit infra duodecim annos, & ultra sex annos.

Item quilibet officiatus manebit & manere debebit in possessione suæ habitationis quam habet sicut in ea huc usque permansit.

Item Abbas dabit ad præsentias de domo zum Lorcher sex libras & sex solidos hallensium.

Item Abbas ministrabit Custodi decem maldra siliginis.

Priori dabit sex maldra siliginis & unam amam vini.

Item Abbas dabit Cantori 6 maldra siliginis, & unam amam vini.

Item si Abbas & Conventus inter se discordarent, super aliquo facto, etiam quocunque, ex tunc ipsi super hujusmodi discordia stabunt diffinitione 6. Seniorum de Capitulo ejusdem Conventus, nec alibi super hujusmodi discordiis quomodolibet litigabunt, secundum continentiam & tenorem antiquarum litterarum.

Acta sunt hæc anno, Indictione, Pontificatu, mense, die, hora & loco prænotatis, præsentibus venerabilibus & discretis viris.

Brunone de *Scharpffenstein* Abbate Monasterii S. *Albani* extra muros Moguntiæ.

Henrico dicto Beyer Decano Ecclesiæ Moguntinæ *Rorico* de *sterrinberg*, Camerario Civitatis Moguntinensis.

Emichone de *Waldeck* Canonico Ecclesiæ Mogunt. prædictæ.

Magi-

Magiſtro *Henrico* de *Casle* Canonico Eccleſiæ S. *victoris* extra muros Mogunt. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis &c.

Et ego *Joannes Henrici* dictus de *Saſſenhuiſen* Mogunt. dioeceſis Imperiali auctoritate Notarius propoſitorum articulorum lectioni ac omnibus aliis, & ſingulis præmiſſis præſens interfui una cum teſtibus ſupra ſcriptis, & ea ſic fieri vidi & audivi præſensque inſtrumentum publicum deſuper confeci, manu mea propria ſcripſi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſolito ſignavi &c.

CCV.

DECRETVM ELECTIONIS EBERHARDI *) ABBATIS AD S. JACOBVM.

Reverendiſſimo in chriſto Patri ac Dño D. *Theoderico* Archiepiſcopo Mogunt. *Heynricus* Prior, *Helfritus* Sauwelnheim, *Henricus Holtchomacher*, *Henricus Northuſen*, *Gerlacus Norbach*, *Adrianus Brielis*, *Bertholdus Hirsfeldie*, *Santerus Norten*, *Joannes Aldendorff*, *Mathias Weſalie*, *Thomas Selbach*, *Jacobus Montebur*, *Joannes Franckenfordie*,

*) Eberhardus de Venlo Prior S. Joannis in Rhingavia unanimiter Abbas montis ſpecioſi electus, elapſo demum ſeptennio in monte Monachorum prope Bambergam Abbas inſtituitur; poſtquam hanc Abbatiam Reformationi Bursfeldenſi ſubjeciſſet, Bambergæ obijt Anno MCCCCLXXV. IV. Jul.

Jacobus Hoenburg, *Wolfgangus* de *Auſtria*, *Georgius Grave*, *Joannes Elckerbuſen*, *Hermannus* Maguntiæ, Conventuales & profeſſi Monaſterii Sancti *Jacobi* ordinis S. *Benedicti* prope & extra muros Mogunt. humiles veſtræ Reverendiſſimæ paternitatis & devoti cum orationum ſuffragiis obedientiam tam debitam, quam devotam. quia monaſteria paſtorum deſtituta ſolacijs, propter diutinam ipſorum vacationem gravia in ſpiritualibus & temporalibus ſæpius patiuntur dispendia, unde nuper videlicet de anno Dñi. MCCCC.LVI. die XXVIII. Aprilis bonæ memoriæ Dño *Lubberto* noviſſimo dicti monaſterij Abbate prout Dño placuit in Monaſterio Sancti *Petri* Erforden. &c. defuncto, ipſiusque obitu nobis per fide dignos intimato, propter piam veſtræ Reverendiſſimæ paternitatis Commonicionem nobis factam, & ne ipſum monaſterium noſtrum ſuæ viduitatis diutius deploraret incommoda, ad electionem futuri Abbatis celebrandam dies infra ſcriptus cum continuatione dierum ſubſequentium concorditer fuit aſſignatus. Convocatis igitur conventualibus in termino ſupradicto ad ſonitum Campanæ in loco Capitulari omnibus qui debuerunt, voluerunt & potuerunt commode inter eſſe, miſſaque de Spiritu Sancto per venerabilem patrem D. *Joannem* Abbatem Monaſterij Bursfeldenſem viſitatorem noſtrum ſolenniter decantata, ac omnibus & ſingulis fratribus noſtris diviniſſimo Corporis Sacramento juxta certum Baſilienſis Concilij decretum communicatis, advocatisque ad hujusmodi Electionis actum venerabilibus viris Dñis

Vdalrico

Vdalrico Abbate Monasterij S. *Joannis* in Rinchavia ordinis & dioecesis prædictorum, ac *Hermanno Rosenberg* vestræ paternitatis Vicario generali decretorum doctoribus, ipsisque ac Notario publico una cum testibus infra scriptis, lectis etiam per nos humiliter in terram prostratis, certis psalmis, & devotis orationibus juxta morem & Ceremonias ordinis nostri pro spirituali Spiritus Sancti gratia impetranda.

Tandem deliberatione inter nos matura desuper habita, per quam formam esset in hujusmodi electionis negotio procedendum placuit nobis omnibus & singulis per formam Compromissi Juxta modum & formam inferius annotatos, quam tanquam omni suspicione impuritatis carentem, ac nullam disceptationis materiam relinquentem convenientissimam judicavimus, & per eandem eidem Monasterio rite & legitime de pastore posse provideri. quo circa Dominum *Joannem* Abbatem monasterij Bursfeldensis ac *Henricum* Priorem, & *Adrianum* Conventualem Monasterij nostri supra dictos in nostros compromissarios concorditer elegimus & assumpsimus, dantes eis inter cætera specialiter in mandatis, ut scedulis singulis electoribus distributis & ab ipsis punctuandis & in quendam saccum vacuum proijciendis in præsentia Notarij & testium infra scriptorum diligenter examinatis, illum tanquam meritis potiorem & ad regimen monasterii idoneorem nobis præficerent in Abbatem & pastorem quem inter omnes in hujusmodi scedulis descriptos pauciora habere puncta invenirent. Præ-

miſſa demum perdictum Dominum *Joannem* Abbatem ad hoc per nos rogatum diligenti exhortatione, ut quilibet eligentium in ipſo electionis negotio Deum præ oculis habendo in illum principaliter ſuum dirigeret votum, nominique illius unum daret punctum, quem inter deſcriptos in hujusmodi ſcedulis apud ſe in ſpiritualibus & temporalibus utiliorem pro monaſterij prædicti regimine ſecundum ſuam Conſcientiam reputaret, nomine vero illius, quem poſt illum magis dignum & idoneum Judicaret duo puncta, & cui poſt illum plura ſuffragari merita cognoſceret tria puncta, ut quem poſt illum magis idoneum quatuor, & cui poſt illum cognoſceret plura ſuffragari merita quinque, & poſtremo, quem poſt illum magis idoneum Judicaret ſex daret puncta.

Inſuper præſtito a ſingulis eligentibus ſecundum formam dicti Concilij Baſilienſis Corporali Juramento ac electis per nos ſex perſonis ex quibus & non aliis voluimus nobis eligi Abbatem traditaque ſingulis eligentibus una ſcedula in qua nomina hujusmodi perſonarum, de quibus nobis Abbatem eligi voluimus. nos omnes & ſinguli conventuales & profeſſi nobiſcum deliberaturi, quem ex his nominatis idoneorem Judicaremus, dilationem usque ad horam primam una cum dictis Dñis compromiſſariis ac Dñis *Vdalrico* Abbate, *Hermanno* vicario, & *Joanne* Judice, generalibus ac notario & teſtibus infra ſcriptis ſcedulas noſtras juxta modum prædictum punctatas & complicatas in quendam ſaccum lineum per notarium infra ſcriptum appor-

apportatum proijecimus. quas quidem ſcedulas ſic in eundem ſaccum projectas dicti noſtri Compromiſſarij una cum Notario & teſtibus, ac prænominatis Dominis *Vdalrico* Abbate, *Hermanno* Vicario & *Joanne* judice ſe ad partem retrahentes diligenter collegerunt ac puncta in eisdem ſcedulis data exactiſſime calculaverunt & numeraverunt. & quia eisdem punctis diligenter calculatis & computatis clare & apte deprehenderunt, ac invenerunt religioſo viro fratri, *Everhardo de Venlo* Priori dicti Monaſterii S. *Joannis* in *Ringavia* pauciora fuiſſe data puncta, & ob hoc in ipſorum eligentium vota conveniſſe, ut ad electionem ejusdem ſpecialiter faciendam foret procedendum. Itaque præfatus Dominus *Joannes* Abbas Bursfeldenſis unus & primus de compromiſſariis noſtris ſupradictis ſtatim eundem fratrem *Everhardum* ſua & omnium eligentium vice publice elegit pro ut in ſcedula quam publice & alta voce legit: cujus tenor ſequitur talis: Ego *Joannes* Abbas Monaſterii Bursfeldenſis vice omnium conventualium & mea eligo & electum pronuncio in his ſcriptis fratrem *Eberhardum* Venlo in Abbatem & Paſtorem Monaſterii S. *Jacobi*, qua electione celebrata impoſitoque per Cantorem hymno Te Deum Laudamus &c. ac pulſatis ſolemniter omnibus campanis hymnoque finito, dictus frater *Adrianus* omnibus advenientibus & in unum collocatis materna Lingua publicavit dictum fratrem *Everhardum* in Abbatem dicti Monaſterij electum, ſuper quibus omnibus & ſingulis idem Dñus *Joannes* Abbas Burſfeldenſis Notarium publi-

publicum infra ſcriptum ſolenniter requiſivit, ut ſibi deſuper tot quot neceſſe foret publica conficeret inſtrumenta.

Acta ſunt hæc anno quo ſupra indictione IV. die vero IX menſis Maij hora & loco ſupradictis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Dñi noſtri D. *Calixti* divina providentia Papæ tertii anno ejus ſecundo. præſentibus ibidem præfatis Hermanno vicario, & Joanne Judice. nec non honorabilibus viris Dominis *Joanne Erchel* S. *Petri* extra Cantore, & *Hermanno Stroboet* S. *Stephani* intra muros Moguntinen. Eccleſiarum Canonicis, teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis. poſtmodum vero dicta electione eidem fratri *Eberbardo* electo, per prædictum fratrem *Adrianum* de mandato noſtro in dicto Monaſterio S. *Joannis* in Ringavia in præſentia dicti Dñi *Udalrici* præſentata, ac petito ut ſuum eidem præſtaret aſſenſum, Ipſe electus ſentiens ſe absque dicti Dñi *Vdalrici* Abbatis ſui licentia ſpeciali conſentiendi vel diſſentiendi libertatem ſeu voluntatem non habere: Ideoque petita ad hoc ab ipſo & obtenta licentia, dilationem aliquot dierum pro deliberatione ſecum deſuper habenda recepit. tandem die & hora infra ſcriptis, allegatis per ipſum primitus humiliter ſuis variis defectibus divinæ tamen voluntati reſiſtere nolens, votis noſtris annuit, electioni de ſe factæ conſentiendo. Eapropter veſtræ Rdiſſimæ paternitati tam devote quam humiliter ſupplicamus quatenus electionem eandem ſic canonice ſicque ſolenniter celebra-

celebratam dignetur confirmare, ac eidem electo munus benedictionis favorabiliter impertiri, ut Deo auctore nobis & Monasterio nostro velut bonus pastor præ esse valeat utiliter, & prodesse. Nosque & alij ejus subditi sub ipsius regimine in observantia regulari Deo possimus Laudabiliter militare. acta fuerunt hæc in monasterio S. Jacobi prætacto die decima tertia mensis Maij prædicti hora vesperarum, & quasi sub anno, Jndictione & Pontificatu quibus supra &c. in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras, sive præsens publicum instrumentum decretum electionis nostræ — — in se continens exinde fieri sigilloque conventus nostri majori, una cum Notarij publici subscriptione jussimus, & fecimus appensione communiri.

Anno M.CCCC.LVI post obitum *Lubberti* ad Electionem conveniunt XVIII. fratres.

Henricus Kynen Prior.
Helfricus de Sauwelsheim.
Henricus Holzmacher.
Henricus de Bursfeld missus *Northusen.*
Gerlacus Rorbach.
Adrianus Brielis.
Bertholdus Hirsfeldie.
Sanderus Norden.
Joannes Aldendorff.
Matthias Wesalie.
Thomas Salbach.
Jacobus Montebur.
Joannes Franckfordie.
Jacobus Hoenburg.

Wolf-

Wolfgangus de Augusta.
Georgius Grave.
Joannes Eletzershusen.
Hermannus Moguntinensis.

Præmissa igitur in vocatione S. Spiritus, Missaque Cantata de eodem per R D. *Joannem* Abbatem Bursfeldensem, Advocatis etiam *Vdalrico* S. *Joannis* in Ringavia Abbate ac *Hermanno Rosenberg* Scholastico ad *gradus*, in spiritualibus generali vicario *Theoderici* Archiepiscopi, & *Joanne* de *Lorch* Judice generali DD. Decretorum Compromissarii statuuntur *Joannes* Abbas Bursfeldensis, *Henricus* prior, *Adrianus* Conventualis loci quibus mandatur ut scedulas cunctis electoribus distribuant & ab eisdem punctuatas in saccum vacuum proijciant, in præsentia Notarij, & testium, sicque examinatis diligenter, eum Abbatem faciant, quem inter VI. in hujusmodi scedulis pauciora habere puncta invenirent. statuuntur ergo sex fratres, ex quibus unum eligerent, quorum nomina in scedulas inscribuntur, ita ut in schedula singuli haberent suis nominibus sex inscripta, & quem quisque potiorem putaret, ejusdem nomini unum daret punctum, & quem post hunc aptiorem cerneret duo, & tertio tria, quarto quatuor, quinto quinque, sexto sex, quod cum omnibus placuisset deliberant inscripturi, usque ad horam primam post meridiem, sicque iterum convenientes quas signaverant schedulas in saccum quem Notarius asportaverat proijecerunt Jam punctuatas & complicatas quæ a compromissariis & aliis supra & in-

fra

fra nominatis & nominandis examinatæ &c. inventum eſt R. P. *Eberhardum* de Venlo tunc Priorem in Monte S. *Joannis* in Ringavia minora habuiſſe puncta. qùem Joannes Abbas Bursfeldenſis vice ſua & compromiſſariorum elegit & pronunciat dicens. Ego *Joannes* Abbas Monaſterii Bursfeldenſis vice omnium Conventualium & mea eligo & electum pronuncio in his ſcriptis R. P. fratrem *Eberhardum &c.* in Abbatem & paſtorem monaſterij S. *Jacobi &c.* acta ſunt hæc anno M.CCCC.LVI. Indictione IV. IX die May. Conſenſus de ſe factus XIII May.

Theodericus D. G. ſanctæ Magunt. ſedis Archiepiſcopus &c. honorabili *Hermanno Roſenberg* decret. Doct. noſtro in ſpiritualibus vicario Generali Devoto & fideli in Chriſto dilecto ſalutem in Domino ſempiternam. vacante pridem Abbatia Monaſterij montis S. *Jacobi &c.* per obitum quondam *Luberti* ejus monaſterii dum viveret Abbatis noviſſimi, religioſi *Henricus* Prior aliique ejusdem Monaſterii fratres conventuales, ne dictum ſuum monaſterium diutina vacatione ſentiret incommoda de futuri dicti Monaſterii Abbatis electione tractantes, & ad hoc in certos diem & horam, & in ejusdem monaſterij loco capitulari capitulariter propterea congregati religioſum *Eberhardum &c.* tamquam habilem & idoneum & ejusdem Monaſterii Abbatem Spiritus Sancti gratia invocata per formam compromiſſi concorditer &c. elegerunt, aliaque facerunt prout hæc & alia in ſuæ electionis decreto nobis exhibito vidimus plenius contineri. unde nobis pro parte præfati Electi

exititt

extitit humiliter supplicatum, quatenus prædictam electionem &c. auctoritate nostra ordinaria confirmare sibique consecrationis munus impendere dignaremur. Nos vero nostris &c. negotiis arduis ad præsens præpediti personaliter intendere non valentes, de tua circumspectione & industria plenius confidentes tibi committimus per præsentes, quatenus in hujusmodi electionis negotio canonice procedendo vocatis ad hoc vocandis & aliis, qui sua putaverint interesse, tam de forma electionis quam de meritis personæ electæ &c. te diligenter informes, & quidquid in hujusmodi electionis negotio fore factum repereris, nobis per tuas patentes litteras cures quantocius significare ut hujusmodi electionem confirmare aut infirmare ac ipsi electo munus consecrationis impendere valeamus. in cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum Datum *Aschaffenburg* die decima septima mensis Maij anno Domini MCCCC.LVI.

CCVI.

CONFIRMATIO JOAN. DE ITSTEIN *) ABBATIS S. JACOBI.

A*dolphus* Dei gratia Archiepiscopus electus & Confirmatus &c. Honorabili *Joanni Lorich* Decretorum Doctori, Decano Ecclesiæ S. *Petri* extra

tra

*) Is antea Abbas S. Joannis in Rhingavia ad quam Anno MCCCCLXVI. remeavit.

tra muros civitatis nostræ Mogunt. devoto nostro in christo dilecto, Salutem in Domino & in commissis diligentiam debitam adhibere. pro parte devotorum nobis in Christo dilectorum, *Henrici* Prioris, totiusque Conventus montis S. *Jacobi* prope civitatem nostram Magunt. ordinis S. *Benedicti* nobis fuit expositum, qualiter pridem vacante ipsius Monasterij Abbatia ex resignatione libera fratris *Eberhardi* ultimi ipsius Monasterij Abbatis, vocatis propterea vocandis & servata forma Religiosum fratrem *Joannem* Abbatem montis S. *Joannis* in Ringavia nostræ Magunt. dioecesis, in dicti Monasterii S. *Jacobi*, & eorum Abbatem postulassent, de qua nobis Decretum postulationis sigillo conventus præfati monasterii roboratum, & manu Notarii publici subscriptum exhibuerunt, supplicantes quoque nobis, quatenus postulationem eandem auctorisare & approbare, ipsumque fratrem Joannem postulatum in dicti Monasterij Abbatem confirmare dignaremur, prout in præfato decreto electionis, quod tibi cum præsentibus etiam exhiberi volumus, clarius videtur contineri. nos igitur eorundem exponentium supplicationi favorabiliter annuentes, & quia aliis nostræ Magunt. Ecclesiæ arduis negotiis præpediti præmissis pro nunc personaliter intendere non valemus, tibi de cujus legalitate in Domino confidimus tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus vocatis de jure evocandis postulationisque negotio hujusmodi diligenter examinato, quam si Canonicam postulatumque habilem & Jdoneum repereris,

eosdem auctoritate nostra ordinaria & Metropolitica, dummodo aliud legitimum impedimentum non obstiterit, super quo tuam duximus conscientiam onerandam, auctorises approbes & confirmes dictoque postulato curam & regimen monasterii ejusdem comittens, faciens quoque quod decreveris auctoritate nostra per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari adhibitis circa hæc solennitatibus debitis & consuetis, harum nostrarum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum. Datum in civitate nostra Maguntinensi. die XIX. mensis Octob. Anno Domini M.CCCC.LXIII.

CCVII.

ELECTIO HERMANNI PRVISS ABBATIS S. JACOBI.

Reverendissimo in Christo Patri & domino D. *Adolpho* Archiepiscopo Moguntino &c. Domino nostro gratiosissimo Fratres *Donatus* de *Mitweidis* Prior, *Henricus* Northusen Supprior, *Henricus Holtscheumecher*, *Joannes* Aldendorf, *Hermannus Pruiss* Cellerarius, *Bonifatius* de *Mechlinia*, *Joannes Kattenbis*, *Petrus* de *Wesalia* Custos, *Joannes Erckelhusen*, *Nicolaus de fornaci*, *Andreas de Amsterdamis*, *Gerhartus* de Montebur, *Joannes Eckstein*, *Bernardus* de *Mosbach*, *Bruno de Alba*, *Joannes* de *Cronenberg*, *Hartman* de *Montbur*, *Michael de Butzbach*, & *Jacobus* de *Königsbach*, Conventuales monasterii S. *Jacobi* prope Moguntiam &c. ejus devoti

voti filij obedientiæ debitum cum orationibus devotis. Pridem in notitiam nostram deducto venerabilem patrem Dominum *Joannem* olim nostri Monasterii Abbatem eidem Abbatiæ suæ renunciasse ac ob salubres causas, spontanee cum humilitate cessisse, vestræque Reverendissimæ paternitatis ad hoc assensu atque consensu accedente, locum eundem reliquisse, ipsamque Abbaciam propterea vacasse, nosque prætextu renunciationis ac cessionis hujusmodi Rectore ac pastore carentes, pericula & incommoda ex hoc dicto nostro monasterio verisimiliter imminentia præcavere volentes, vocatis propterea omnibus & singulis qui fuerant evocandi, ad diem hodiernam, videlicet diem martis nonam mensis Decembris Anni Domini M.CCCC.LXVI. ad Abbatem eligendum, ac eidem Monasterio de eodem providendum qui potuerunt, voluerunt & debuerunt commode interesse, nobisque post decantationem de Spiritu Sancto solenniter missarum solennijs, servatisque alias servandis in unum in loco capitulari hora primarum, vel quasi omnibus ad eligendum convenientibus statim, nullo alio tractatu pro tunc interveniente subito & repente Spiritus S. gratia ut firmiter credimus inspirati omnes nullo penitus discrepante divina favente clementia in præfatum Religiosum fratrem *Hermannum Pruijs*, dicti Monasterii monachum expresse professum direximus atque dirigimus vota nostra virum utique providum & discretum vita moribus, ac virtuosis actibus merito commendandum in sacerdotio & æta-

te ultima constitutum, nec non de legitimo Matrimonio procreatum, tamque habilem & idoneum una voce & uno Spiritu in nostrum & prædicti monasterii Abbatem elegimus & pastorem. quem etiam religiosus frater noster Donatus Prior præfatus, de voluntate & mandato nostris, nobisque præsentibus elegit atque pronunciavit solenniter vivæ vocis oraculo in Abbatem in effectu sub his verbis.

In Nomine Patris & filij & Spiritus Sancti. Ego frater *Donatus* Prior monasterij S. *Jacobi* vice mea & nomine totius Conventus, ad hoc deputatus religiosum fratrem *Hermannum Pruiss* eligo in Abbatem Monasterij S. *Jacobi* prædicti eidemque Monasterio provideo de eodem. qua quidem electione sic facta mox idem electus noster a me *Donato* Priore & Senioribus ad Ecclesiam introductus campanis omnibus pulsatis, hymnoque Te Deum Laudamus decantato, certis orationibus ex more subjunctis, publicata & pronunciata, exinde solenniter coram omnibus, qui illuc convenerant ipsa electione secundum Juris communis dispositionem facta, aliisque juxta cerimonialia nostra servanda servatis. demum requisito consensu ab eodem nostro electo, non modicum renitente, ac insufficientiam multifarie allegante ordinationi tamen Spiritus Sancti, juxta sanas suggestiones sibi desuper factas resistere non valens, electioni de se ut præmittitur factæ in Dei nomine consensit. Cum itaque Monasterio nostro de persona memorata quæ Deo & hominibus speratur accepta, ordinatione divina ut præscribitur sit provisum. Eapropter eandem vestram

Reve-

Reverendissimam paternitatem, nos fratres Donatus Prior Singulique Conventuales memorati, tam debite quam humiliter voto unanimi supplicamus, quatenus electionem eandem sic solemniter ac canonice de persona præfati fratris *Hermanni* Spiritus S. instinctu, ut præmittitur celebratam ratam & gratam habere canonisare, ipsumque in Abbatem monasterij nostri prædicti confirmare, ac de dicta Abbatia investire, sibique munus benedictionis auctoritate ordinaria & metropolitica impertiri, seu præmissa explenda alteri seu aliis committere dignemini de gratia speciali. Cæterum ut eadem vestra Reverendissima paternitas evidentius cognoscat vota omnium nostrum in prædictis omnibus & singulis concordasse, & in petitione hujusmodi nos concordes ac unanimes existere præsens decretum, electionis nostræ præscriptæ formam in se continens V. R. Paternitati dirigendum duximus atque transmittimus, sigillo nostro conventuali, ac Notarij publici subscriptione roboratum. facta autem & celebrata est hæc concors Electio anno, die, mense, loco & hora quibus supra. præsentibus ibidem venerabili ac religioso Patre & Domino *Joanne* Abbate, Monasterij S. *Joannis* in Ringavia, nec non honorabilibus, & discretis viris Dominis *Bartholomeo Seel* Canonico Ecclesiæ S. Vict. extra Moguntiam, & *Conrado Houngen* Altarista in Ecclesia Moguntinensi. testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Joannes Huneman Notarius subscripsit.

Adolphus Dei gratia &c. Archiepiſcopus, & Archicancellarius, ac Princeps Elector, Reverendo in Chriſto Domino *Syfrido* Epiſcopo Cirenenſi noſtro in pontificalibus vicario Generali Amico dilecto Salutem, & ſinceram in Domino Charitatem. vacante nuper Abbatia Monaſterij S. *Jacobi* &c. Civitatis noſtræ Moguntinenſis, per liberam reſignationem, ſeu ceſſionem devoti nobis in Chriſto dilecti *Joannis de Jtzſtein* noviſſimi illius poſeſſoris, religioſi nobis in Chriſto devoti, & dilecti *Donatus* Prior ac cæteri fratres conventuales ejusdem Monaſterij. periculis & incommodis quæ ex diutina vacatione ipſius Abbatiæ, ſuo monaſterio & fratribus inibi degentibus veriſimiliter imminere poſſent, præcavere volentes pro futuri Abbatis electione, certo die ad hoc præfixo vocatis vocandis in religioſum nobis devotum in Chriſto dilectum *Hermannum Pruiſs* concorditer vota ſua direxerunt &c. nobisque una cum dicto electo humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus dictam electionem ſic ut præmittitur factam gratam & ratam habere, ipſumque electum in Abbatem prælibati monaſterij confirmare de ipſa Abbatia inveſtire, & ſibi munus benedictionis impartiri dignaremur, prout hæc & alia in decreto electionis hujusmodi nobis deſuper præſentato vidimus plenius contineri. Nos vero noſtris & Eccleſiæ noſtræ Maguntinenſis De præſenti adeo præpediti negotiis quod præmiſſis intendere minime valemus, idcirco vobis committimus, ac injungimus. quatenus vocatis omnibus & ſingulis ſua communiter vel diviſim intereſſe

tereſſe putantes viſisque diligenter & recenſitis litteris, Decreti ac proceſſu in dicto Electionis negotio habita, conſideratisque univerſis & ſingulis circumſtantiis vos de præmiſſis diligenter informetis, & ſi reperietis Electionem præfatam, rite & canonice celebratam fuiſſe & eſſe, ex tunc auctoritate noſtra ordinaria ſervatis ſolemnitatibus in præmiſſis ſolitis & conſultis electionem hujusmodi ratificetis, ac ipſum *Hermannum* in Abbatem ſæpe dicti monaſterii S. *Jacobi* confirmetis ac de ipſa Abbacia, nec non juribus & pertinentijs ſuis univerſis inveſtire, atque munus benedictionis ſibi impendatis, omniaque alia & ſingula vice noſtra faciatis, quæ fuerint in præmiſſis neceſſaria, ſeu quolibet opportuna, & quæ nos ipſi faceremus, ſeu facere deberemus, ſi præmiſſis perſonaliter intereſſemus. Datum *Eltuil* die undecima Decembris Anno M.CCCCLXVI.

CCVIII.

CONFIRMATIO HERMANNI PRVISS*) ABBATIS S. JACOBI.

Nos *Siffridus* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Cirenenſis, Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. *Adolphi* Archiepiſcopi Moguntini in Pontificalibus vicarius generalis, recognoſcimus per præſentes, quod poſtquam ex ſpeciali commiſſione nobis deſuper facta venerabilem &

*) Præfuit Hermannus Abbatiæ annis XLIII.

Religiosum Patrem D. *Hermannum Pruiss* Abbatem Monasterii S. *Jacobi* prope Maguneiam ordinis S. Benedicti, id humiliter petentem rite confirmavimus, & Electionem de persona sua factam ratificavimus, pro ut in processu desuper habito plenius continetur. exinde die Dominica, quæ fuit XXI. mensis Decembris anni Domini M.CCCC. LXVI. in eodem Monasterio missarum solennia de Spiritu S. celebrantes in viam commissionis ejusdem sicuti nobis commissum & injunctum fuerat assistentibus & assidentibus in infulis Lateraliter ipsi Domino *Hermanno* Abbati, venerabilibus & religiosis Patribus & Dominis *Joanne de Jtzstein*, S. *Joannis* in Ringavia, & *Joanne de Schoenborn* S. ferrucij in *Blidenstadt*, monasteriorum Abbatibus, ordinis & Dioecesis prædictorum, infula ac baculo pastorali aliisque insigniis Abbatialibus sibi traditis, servatisque ceremonialibus & solennitatibus in talibus observari solitis eidem Domino *Hermanno* Abbati etiam munus Benedictionis impendimus. in quorum testimonium præsentes litteras fieri fecimus, ac nostri sigilli Jussimus appensione communiri. Datum & actum Anno die, mensis, & loco quibus supra, Jndictione XV. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. *Pauli* divina providentia Papæ secundi anno ejus tertio.

CCIX.

SPIRENSIA.

PROCESSVS SYNODALIS *) TERMINO *MARTINI* EMANATVS 1488.

Georgius de Gemmingen utriusque juris Doctor Prepositus Ecclesie spirensis universis & singulis Dominis Decanis Camerarijs parochialium Ecclesiarum Rectoribus plebanis vice plebanis Premissarijs Altaristis Capellanis presbiteris curatis & non curatis clericis alijsque beneficiatis nobis subjectis tam in civitate spirensi quam extra per nostram Prepositaram **) ubilibet constitutis salutem in Domino sempiternam. Cum juxta officij nostri requisicionem salubri subditorum nostrorum spiritualium & secularium teneamur inservire directioni, ut declaratione vitiorum virtutumque amplexu virtutis autorem digne valeant venari, id tamen imprimis erga spirituales, qui secularibus ut luminaria atque vitra preficiuntur, quibus cadentibus atque in vitia christiane religionis enormitatis prolabentibus alij corruant necesse est, pervigili

*) Officium et jurisdictionem Archidiaconorum ex hisce processibus luculenter dispicere licet, præsertim si conferas Diœcesin Moguntinam in Archidiaconatus distinctam Commentationibus Diplomaticis illustratam Tom. I. II. et IIItio.

**) Tractum Archidiaconalem Præpositi Majoris vide Tom. X. Subsidiorum Dipl. pag. 283 — 315. confer. nota pag. 284.

cura assiduaque sollicitudine perficere cupientes, antique rationabiliter institute observationi, qua salutaria predecessorum nostrorum monita atque hortamenta singulis clericalibus cetibus in Archidiaconatibus ubilibet constitutis consueverint destinare inherendo vobis omnibus & singulis, quibus hic noster processus fuerit intimatus in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis vel aliarum censurarum per nos vel officialem nostrum infligendis penis districte precipiendo mandamus, quatenus omnes & singulas clausulas atque puncta in processibus per predecessores nostros emissis comprehensos nos omnes & singulos hic pro renovatis habere volumus, omni studeatis conatu observare, inhibemus etiam sub pre expressatis penis & censuris, ne aliquis vestrum ullum matrimonium ullasve personas nisi temporibus a jure permissis & trinis proclamationibus publicis in ambone ut moris est precedentibus sine nostra aut superiorum nostrorum licentia introducat vel solemnizet, neque de matrimonialibus alijsque quibuscunque ad ecclesiasticum forum spectantibus causis cognoscendo sigillando vel approbando intromittat atque personas quascunque per nos vel officialem nostrum excommunicatas suspensas vel interdictas secundum tenorem excessuum pro talibus habeat & evitet faciatque & denuntiet eas ab alijs pro talibus & ut tales haberi & evitari donec & quousque de absolutionis & restitutionis a nobis vel officiali nostro hujusmodi obtentarum beneficijs litteras ostenderint sigillatas, que omnia & singula

&

& hunc nostrum processum per Vos Decanos & Camerarios supradictos in proxima celebranda convocatione atque congregatione confratribus & concapitularibus vestris intimari & solemniter publicari volumus atque mandamus, ne quispiam de premissis ignorantiam aliquam pretendere possit seu quomodolibet allegare. Datum sub sigillo Prepositure nostre presentibus appenso Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo feria tertia proxima post festum beati Martini Episcopi.

CCX.

PROCESSVS EMANATVS FERIA TERTIA POST *JUBILATE* *) 1489.

Georgius de Gemyngen &c. Etsi quam plurimis retroactis sacrosanctis synodis vitam moresque vestros in melius reformare sanctosque & laudabiles prout ex officio incumbebat, antecessores nostri conati fuerint, id tamen parum fructificasse indies magis magisque experimur, . . ea propter more boni patris familias indefessique pastoris gregis nobis commissi occurrere commoditatibusque servire studentes vobis omnibus & singulis in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis sive alijs arbitrarijs per nos vel officialem nostrum infli-

*) Feria III. post Dominicam III. post Pascha. altera synodus Feria III. post Martini. qui duo termini pro habenda synodo rite sunt observati.

infligendis penis districte precipiendo mandamus, ne tabernas publicas, choreas, loca suspecta, concubinas sive mulieres in vel extra domos vestras foveatis teneatis vel nutriatis, ludis conventibus laicorum inebrietatibus blasphemijs & spectaculis publicis non inter sitis, bona beneficiorum vestrorum instrumenta litteras & jura eorundem in debitis servetis decore atque cultura, missas vigilias & alia divina officia juxta ultimas defunctorum voluntates ac vestrorum beneficiorum institutionem complentes, excommunicatosque a divinis suspensos & interdictos evitando & juxta tenorem processuum contra eos emanatorum ab alijs evitari faciendo, requirimus etiam vos omnes & singulos penisque supradictis monemus, ut festo nativitatis sancti Johannis Baptiste proximo in vestris residеatis beneficijs, eis in proprijs personis servituri, nec ea alijs commendare eisque per alios servire aut vos ab eisdem absentare aliquatenus attemptetis nisi nostro aut Officialis nostri super hoc obtento indulto sigillato, ad quod etiam vos Decanos & Camerarios circumspectum oculum habere commonemus, ne aliquem clericorum ad officiandum sive deserviendum quodcunque beneficium curatum sive non curatum per nostrum Archidiaconatum ubilibet constitutum sine modo & forma prefatis indulto quovis modo admittatis penis sub predictis. Hunc autem nostrum processum in proxima convocatione vestra confratribus & concapitularibus vestris intimari & publicari volumus & mandamus, ne quisquam eorum de premissis

miſſis ignorantiam aliquam allegare valeat ſeu quomodolibet pretendere. Datum ſub ſigillo Prepoſiture noſtre preſentibus impreſſo Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono feria tertia poſt Dominicam *jubilate* proxima.

CCXI.

PROCESSVS SYNODALIS FERIA TERTIA POST *MARTINI* EMANATVS 1489.

Georgius de Gemmingen &c. Credite nobis cure ſollicitudo depoſcit omni quo poſſumus ſtudio gregis nobis commiſſi periculis atque diſcriminibus occurrere, ejusque commoda & utilitates procurare ut ſummo omnium paſtori Deo excelſo dignum cum laude fructum offerre valeamus, cum autem etſi ſalutares noſtre directiones precepta & monimenta quas in anterioribus ſacro ſanctis ſynodis edidimus, non eum quem ſperabamus, quemque pre ſe ferebant, effectum, ſortite ſunt, eo tamen non minus a dirigendo & monendo deſiſtendum non fore, quippe ut quod volebamus monendo non effecimus, id deinceps eo acrius diſtrictiusque precipiendum & puniendum exiſtimamus & quos nec virtutis amor Deive timor aut monentis levitas ad decenter honeſteque & ſancte vivendum potuit inducere, illos ſaltem ſeveritas precipientis & punientis perterreat & coherceat atque diſtrictio,

ctio, Ea propter vobis omnibus & singulis supradictis in genere & cuilibet vestrum in specie in virtute sancte obedientie & sub excommunicationis aliarumque censurarum etiam extraordinarijs & arbitrarijs penis quas contra factores & negligentes pariter & rebelles quoslibet canonica monitione presentibus previa ipso facto incurrisse volumus, iterum atque denuo firmiter & districte precipiendo mandamus, quatenus omni vitiorum labe abstersse honeste & decenter vitam agatis, tonsis capitibus clericali corona cum solita amplitudine ornatis succisisque capillis incedendo, vestibus clericalibus induti, ab armatura, placitis, publicisque spectaculis, Choreis negociationibus mercantijs quibuslibetque illicitis contractibus penitus abstinendo, in tabernariorum Officijs vitandis tabernisque non nisi itineris cibi potusve sumendi aut recuperandarum virium causa vos ad easdem diverti contingat frequentandis, in non nutriendis aut apud vos vel alios tenendis seu fovendis concubinis aut suspectis mulieribus, in non visitando easdem aut loca que inhabitant suspecta, in non exercendo cujuscunque generis ludos presertim ejus quod ex fortune fluxu & ex detestande cupiditatis radice dependere & procedere dinoscitur, puta, taxillorum & chartarum. Preterea sub eisdem quibus supra censuris & penis precipiendo mandamus, ne nubentes quoscunque nisi proclamationibus solitis debitisque intervallis distinctis premissis aut dum temporis prohibitio vel aliud canonicum impedimentum obsistat, nisi nostro aut superioris nostri indulto sigil-

lato

.to desuper prehabito quovis modo benedicatis :u intronizetis, quodque de cognitione decisione el comportatione causarum judicialem indaginem xposcentium nullo vos pacto intromittatis sed eas-.em ad hos quorum interest audiendas, cogno-:endas & decidendas indecise transmittatis. Item |uod nullus vestrum coram aliquo seculari judice eu potestate cujuscunque dignitatis aut eminentie xistat conventus compareat, nec alium clericum :oram eodem citet accuset conveniat vel querelam ıliquam faciat nisi forsitan prius desuper coram of-iciali aut superiori nostro suum deducturus privi-egium. Item quod omnia & singula bona mobi-ia & immobilia beneficiorum vestrorum litteras-que scripturas & instrumenta super eisdem confe-ctas & confecta diligenti curetis custodia cultura & structura conservare deperdita que collapsa & diruta pro posse & nosse recuperare & restaurare, similiterquē divina officia etiam vigilias missas memorias commemorationes & anniversarias per-actiones precipue in ecclesijs vestris tām cantando quam legendo cum pausis debitis absque clamoribus aut nimia festinatione sed palatim susurrationibus clamoribus & confusionibus penitus seclusis juxta eorundem fundaciones & institutiones piasque defunctorum voluntates plene cum eo quo statuta sint clericorum numero honeste & decenter peragatis & adimpleatis, quia vero quod dolenter referimus plurimam in his accepimus fieri & committi negligentiam pariter & confusionem, nos talibus in quantum in nobis est obicem ponere con-

cupi-

cupiſcentes vobis omnibus & ſingulis predictis ſub penis prenotatis precipimus & mandamus, quatenus vos omnes & ſinguli & veſtrum cuilibet in ſpecie infra trium quindenarum poſt preſencium intimationem ſeu notificationem in capitulo noſtro factam proxime & immediate ſubſequencium ſpacium, quarum quidem quindenarum unam pro primo unam pro ſecundo & reliquam quindenam vobis omnibus conjunctim & veſtrum cuilibet in ſolidum pro tercio & peremptorio termino canonicaque monitione ac omni dilacione prefigimus & aſſignamus de cunctis litteris ſcripturis inſtrumentis privilegijs & munimentis fundationum inſtitutionum reddituum quoque proventuum jurium obventionum emolumentorum & onerum beneficiorum veſtrorum eorundemque tenoribus continentijs qualitatibus & exiſtentijs in ſuis veris originalibus ſeu autenticis & fide dignis copijs nos vel officialem noſtrum illas & illa modo premiſſo nobis aut dicto officiali noſtro exhibendo preſentando & tradendo legitime & ſufficienter certificetis & informetis & quilibet veſtrum certificet & informet. Item quod omnes & ſingulos a nobis aut officiali vel ſuperiori noſtro ſuſpenſos excommunicatos vel interdictos pro talibus & ut tales juxta ſanctorum canonum inſtituta denuntietis habeatis reputetis & vitetis, ſicque ab alijs haberi, reputari & evitari faciatis. Item quod nullum ad aliquod beneficium deſerviendum aut inofficiandum aliquatenus admittatis niſi noſtro aut officialis noſtri indulto ſigillato deſuper prehabito & oſtenſo, ſi

vero

vero quis preter noſtrum aut officialis noſtri indultum hujusmodi ullum beneficium alicui commendaret aut commendatum ab altero ſuſciperet eundem vel eosdem nobis aut dicto officiali noſtro manifeſtetis & pandatis ſine mora, nullus etiam veſtrum beneficio ſuo quod obtinet renuntiaturus absque ſpe permutacionis vel aſſecutionis alterius beneficij pro eodem conſequendi, id in & ad manus ſeu poteſtatem cujuscunque dimittat vel reſignet niſi noſtro aut ſuperioris noſtri conſenſu deſuper legitime obtento, vosque Decani & Camerarij ſecretarij ſeu diffinitores capitulorum ruralium circumſpectum geratis oculum, ne aliquem in confratrem & concapitularem veſtrum recipiatis niſi prius de obedientia nobis aut noſtram facta fidem litteris ſigillo noſtro communitis vobis fecerit condignam, quod ſi quis veſtrum ſecus quam hortamur atque mandamus attemptare preſumpſerit, noverit ſe preter ultionem quam a Deo expectabit noſtramque indignationem juſtum expectare judicium eo ſeverius in ipſum ſtatuendi, quo contumacior atque rebellior inventus fuerit, Hunc autem noſtrum proceſſum per vos Decanos & Camerarios ſupra dictos in proxima per vos habenda congregatione confratribus & concapitularibus veſtris ſollempniter intimari & publicari volumus & mandamus ne quiſpiam ipſorum ignorantie velamine juvare ſe valeat quomodolibet ſeu tueri, cum aliquando ſuper non obſervantia eorum que mandamus fuerit in judicium vocatus. Datum ſub ſigillo Prepoſiture noſtre preſentibus impreſſo.

 Datum

Datum feria tertia proxima poſt beati Martini Epiſcopi feſtum decima ſeptima menſis Novembris Anno LXXXIX.

CCXII.

PROCESSVS SYNODALIS TERTIA POST *JUBILATE* ANNO XC°.

Officialis Domini Prepoſiti Eccleſie ſpirenſis univerſis &c. Et ſi inter cetera injuncte cure creditique officij noſtri debitum hoc unum ſubditos noſtros precipue Eccleſiaſticos ad recte vivendi normam ſalubribus directionibus & hortamentis ſepius publicandis aſſiduo ſtudio frequenter incitare transgreſſores quoque condigna plecti pena a nobis precipue exquirat & ſollicitet, verum veteribus legibus novas plerumque annectere ſanctiones a ſubditis autem nec novis nec veteribus pareri parum aut nichil prodeſſe animadvertentes hanc ob rem multa mentis noſtre hac preſertim vice paucis comprehendere proponentes omnes & ſingulos predicti Domini noſtri Prepoſiti & predeceſſorum ſuorum proceſſus prohibitiones monimenta & precepta ſalutaria anterioribus temporibus in ſacro ſanctis ſynodis quomodolibet editos emiſſos & publicatos editaque emiſſa & publicata juxta omnimodam eorumdem continentiam vim formam atque tenorem perinde & ac ſi de eisdem preſentibus de verbo ad verbum mentio & explicatio haberetur ſpecifica & expreſſa in his ſcriptis inno-

innovantes & repetentes ac pro innovatis repetitis & infertis habentes eosdem ac eadem fingulaque in eis contenta de vobis omnibus & fingulis fupradictis prout ad vos & quemlibet veftrum communiter feu divifim pertinet fub penis cenfuris & mulctis inibi expreffis firmiter diftricte & inviolabiliter obfervari precipimus atque mandamus, ceterum cum beneficium propter officij minifterium detur, beneficiorumque comoda qualia undequaque & qualitercunque fentientes onera ex eisdem fufferre tenentur, quia autem in his, quod mentis amaritudine deteftamur, multiplices repugnantias pariter & abufiones fieri comperimus, idcirco omnes & fingulos fub noftre jurisdictionis limitibus ubilibet & qualitercunque beneficiatos curatos & non curatos in genere & in fpecie ipforum omnium nomina & cognomina prefentibus pro fufficienter expreffis habentes fub penis prenotatis firmiter & diftricte precipiendo mandantes hortamur requirimus & monemus diligenter & prompte, quatenus ipfi & eorum finguli in beneficijs fuis perfonaliter refideant, jura res & bona eorundem in effe ftructura & cultura debitis confervando & manutenendo diruta deperdita & collapfa recuperando & refarciendo illis juxta plenarias ipforum inftitutiones ac pias defunctorum voluntates in divinis & temporalibus ut decet invigilando & ferviendo paribus fub penis prohibentes & interdicentes ne aliquis veftrum cujuscunque ftatus gradus & conditionis exiftat de beneficio aut beneficijs fuis fe abfentare aut qualitercunque ullum benefi-

cium aut ſtipendium alteri regendum inofficiandum aut deſerviendum committere, & ne quispiam unde & quicunque fuerit quodcunque beneficium ſeu ſtipendium ab alio ſeu altero nomine inofficiare regere aut deſervire commendatus ſuſcipere audeat preſumat aut pretendat quibusvis modo occaſione auctoritate vel cauſa niſi dicti Domini noſtri Prepoſiti aut noſtris facultate licentia & mandato infra hinc & feſtum nativitatis ſancti Johannis Baptiſte proxime futurum prolixiori mora & dilatione protinus ſublatis poſtergatis & ceſſantibus autenticis ſigillatis litteris deſuper ſpecialiter petitis & obtentis ſcituri & pro indubitato habituri vos omnes & ſinguli, prefatum Dominum noſtrum Prepoſitum ſeu nos ejus nomine contra ſingulos preſentis noſtri proceſſus transgreſſores ad penarum cenſurarum & mulctarum pretactam declarationem & exactionem eo diſtrictius rigidiusque proceſſurum adeo & taliter ne in & circa hec delinquentes inobedientiam temeritatem & contraventionem ipſorum ſibi utilitati fuiſſe inveniant, ceterive in antea occaſionem ſeu audaciam ſibi vendicent ſic ſimilia aut majora committendi, ne ergo inde & ſuper premiſſis quisvis veſtrum ignorantie velamen aliquatenus ſibi preferre gaudeat quomodolibetve ſuffragari volumus & mandamus hunc noſtrum proceſſum & ſingula in eo contenta per vos Decanos & Camerarios ſupra dictos in proxima per vos celebranda convocatione confratribus & concapitularibus veſtris ſollempniter intimari & publicari. Datum ſub ſigillo noſtro cauſarum

preſen-

presentibus appenso tertia post Dominicam *jubilate*, quarta mensis Maji anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo.

CCXIII.

SYNODALIS MARTINI 1490.

Officialis Domini Prepositi Ecclesie Spirensis &c. Cum perfida & pertinax clericorum superbia, obscena impuricia ludi frequencia indecens habitus vita denique eorum dissoluta ad mitem & humilem corde jesum Christum pro nobis crucifixum ascendisse & divinam clementiam ad vindictam justo judicio provocasse timendum existat, ut nec Deum timentes afflictionem effugere nequeant malorum demeritis excitatam, quoniam ut vulgo fertur temeritas impunita temeritates cumulat puniendas & licet monitis preceptis hortamentis & processibus salutaribus multimodis & Notarijs ad vite & morum emendationem decenterque honeste & bene vivendum tendentibus ante actis temporibus in sacrosanctis synodis a dicto Domino nostro Preposito illius predecessoribus ac eorundem Officialibus in subditos suos plerumque manifeste editis emissis & publicatis cuilibet ipsorum agenda & dimittenda satis evidenter patuerunt & innoteant, verum etiam si spe emendationis vite subditorum nostrorum ducti in transgressoribus & excessibus eorundem emendandis & corrigendis mite hactenus processerimus, multo magis tamen quod cor-

dis merore atteſtamur ſubditorum eorumdem exceſſus & transgreſſiones indies creſcere & augeri comperimus, ymo quod deterius eſt plurimi eorum per pravam conſuetudinem & deteſtabilem vitam ipſorum ſe ſe palleare intuitur, ne ergo de manibus noſtris ſanguis eorum requiratur & ira Dei magis incaleſcat, majorque facultas ſeu audacia delinquendi eis tribuatur, in emendatione exceſſuum ſubditorum hujusmodi animadverſionem & operam diligenter in antea pro poſſe adhibere intendimus, idcirco monita precepta hortamenta & proceſſus . . totosque & veros eorundem tenores pro ſufficienter inſertis & expreſſis habentes in hijs ſcriptis & per preſentes innovantes & repetentes ac pro innovatis & repetitis habere volentes monita hortamenta precepta & proceſſus hujusmodi ſignanter quidem de concubinis & ſuſpectis mulieribus in & extra domum non habendis nutriendis aut fovendis dimiſſisque iterum ac alijs non aſſumendis, veſtium habitnum & tonſurarum delationibus & inceſſibus honeſtis taxillorum & cartarum & quibuslibet alijs illicitis ex deteſtande fortune & cupiditatis radice profluentibus ludis non exercendis beneficijs quibusvis juribusque rebus & bonis beneficiorum & eccleſiarum eorundem univerſis, nec non exequijs anniverſarijs & peractionibus alijs juxta inſtituentium & inſtitutionum voluntates & continentias deſerviendis regendis conſervandis recuperandis & peragendis ſuper beneficium ſeu beneficiorum ac eccleſiaſticis bonis rebus juribus cauſisque & actionibus alijs

coram

coram ulla feculari poteftate feu jurisdictione quacunque auctoritate fungente neminem in jus & caufam trahendo conveniendo neque ab ullo trahi aut conveniri patiendo aut tractatus aut conventus refpondendo vel agendo, ex Domini noftri Prepofiti Archidiaconatu fe non abfentando nec aliquod beneficium feu ftipendium Archidiaconatus ejusdem aut defervire aut inofficiare commendando commendatum deferviendum vel inofficiandum ab altero ftipendio nifi dicti Domini noftri Prepofiti aut noftra auctoritate & licentia fub patentibus litteris defuper prehabitis, beneficiatis quoque prelibati Archidiaconatus beneficijs fuis qualitercunque etiam confecutis aut obtentis non recipiendis feu admittendis nifi de obediencia ac alias debito ac folito juramento Domino noftro Prepofito aut nobis preftito prius fufficienter conftituto ac matrimonijs & nubentibus quibuscunque nifi temporibus & forma a jure premiffis ac trinis proclamationibus publicis more folito previjs absque prefati Domini noftri Prepofiti noftra aut fuperiorum noftrorum licentia & indulto non introducendis & folempnizandis, tabernariorum officijs non exercendis tabernisque publicis fpectaculis coreis & locis alijs fufpectis quibuscunque non vifitandis aut intereffendis, de matrimonialibus & fingulis alijs judiciali indagine egentibus cognofcendis & decidendis aut comportandis caufis contractibus quibusvis figillandis vel approbandis mercantijsque quoque negotiationibus & actibus alias clericis prohibitis fe nullatenus immiscendo aut ingerendo

rendo a divinis fufpenfis excommunicatis & interdictis publicandis & evitandis, ceterisque prout & quemadmodum in prementionatis monitis preceptis hortamentis & proceffibus continetur cum, in & fub omnibus claufulis & fingulis punctis capitulis fententijs cenfuris & penis etiam arbitrarijs in eisdem quomodolibet expreffis & comprehenfis a Vobis omnibus & fingulis fupradictis in genere & in fpecie inviolabiliter obfervari precipimus ac iterum mandamus. Certificando &c. Datum Die Mercurij poft feftum beati Martini Epifcopi fexta decima menfis novembris Anno Dñi MCCCCXC.

CCXIV.

SYNODALIS *JUBILATE* 1491.

Officialis Domini Prepofiti Ecclefie Spirenfis &c. Cum fubditos noftre jurisdictionis clericali caractere infignitos & ad divinum officium deputatos in ftatu clericali decenter vivere & in illo pro Dei laude & in exemplum aliorum proficere cupiamus, vitiaque eorum deteftabilia, quibus aliqui ex eis plurimum fordere feruntur, non absque condigna emendatione impunita relinquere intendamus prout ex injuncto & ab altiffimo nobis credito officio aftringimur, ut quos Dei timor calamitasque & afflictio que forfan Dei judicio uti verendum eft bonos & malos annis proximis fecit a malo non revocat faltim pena fpecialiter injuncta ad vite emendationem alliciat & invitet, idcirco

ne

ne ſupervacue eaque mature & deliberate in proceſſibus ſynodalibus annis preteritis a Domino noſtro Prepoſito predicto ac ſuis pro tempore officialibus mandata fuerunt jam pro derelictis habere cenſeamur proceſſum ſynodalem feria tertia poſt Martini Anni proxime preteriti a nobis emanatum omnesque alios dicti Domini noſtri Prepoſiti predeceſſorum ſuorum ac officialium eorundem pro tempore proceſſus in eodem repetitos ac omnia & ſingula precepta monita & hortamenta tam in eodem ac alijs proceſſibus ſupradictis repetitis & decretis de novo per preſentes innovamus & repetimus ac pro repetitis & decretis de novo per preſentes innovamus & repetimus . . . . potiſſimum ne bona beneficionum veſtrorum dicte jurisdictionis ad tempus in perpetuum ſeu etiam in emphiteoſin absque conſenſu ſuperiorum ac aliorum quorum intereſt tranſigendo paciscendo ac quovis modo comportando, vel alias ex quacunque etiam cauſa alienare preſumatis, bonaque beneficiorum hujusmodi in debitis cultura & eſſe teneatis & ſervetis, deperditaque & deteriorata recuperare & reparare pro poſſe ſtudeatis . . . . ut ſupra. Datum feria tertia poſt Dominicam *jubilate* viceſima ſexta die menſis Aprilis Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo.

CCXV.

SYNODALIS *MARTINI* 1491.

Georgius de Gemmyngen utriusque juris Doctor Prepofitus Ecclefie fpirenfis &c. Frequens & affidua cura atque folicitudo quam noftros erga fubditos prefertim clericos ex injuncto nobis officio pervigilis paftoris more gerimus nos propulfat ut erga illos ne femitis juftitie & rectitudinis dimiffis ad devias declinent oculum habeamus circumfpectum, & fi quos jam a directo tramite deviaffe comperimus illos falubribus monitis atque mandatis ad viam rectitudinis amplectendam cohierceamus, ne & nos una cum eisdem in falvatoris noftri jhefu Chrifti, qui ut nos a peccatorum nexibus liberaret fuum preciofiffimum fanguinem tam large tamque copiofe pro nobis effundere dignatus eft, indignationem qua nos demeritis noftris exigentibus tum cariftia tum crescentia tum bellorum & tempeftatum turbinibus & alijs tam periculofis eventibus prout heu quotidie cernimus jufto judicio affligit magis ac magis prolabimur, verum pro extirpandis atque reformandis hujusmodi noftrorum fubditorum exceffibus transgreffionibus delictis & alijs que clericalem ftatum denigrare fummumque Deum offendere ac laicis occafionem mali generare folent predeceffores noftri ac nos annis & temporibus retroactis quam plures proceffus fynodales atque falutaria monita mandata & hortamenta edidere, ne autem hujusmodi fynodales proceffus . . . fuo quem pre fe ferunt effectu ali-

aliquatenus fruſtrentur ſed illum plene conſequantur idcirco proceſſum ſynodalem feria tertia poſt Dominicam jubilate proxime preterita emanatum omnesque alios & ſingulos noſtros ac officialis & predeceſſorum noſtrorum hujusmodi proceſſus in eodem repetitos ... innovamus . . Inſuper vero cum nonnulli ex nobis prout noſtris innotuit auribus pro rerum furto ablatarum aut caſu fortuito amiſſarum inventione atque recuperatione incantatricum ſeu ſortilegum divinationes expetere temptarunt non verentes ſe talibus nephandis implicari ſuperſtitionibus a quibus ne ſolum ipſi abſtinere ſed etiam laicos ſibi ad curam ſubditos animarum abſtrahere deberent, in animarum ſuarum grave periculum nec non pernicioſum exemplum laycorum ſuam confidentiam magis in ſortilegos quam Deum ponentes non curantes pro rei temporalis recuperatione regno privari eterno, que quidem ſuperſtitiones hereſim & ydololatriam in populo Chriſtiano generare ſolent, idcirco omnibus & ſingulis clericis nobis ſubjectis ſi qui talibus ſuperſtitionibus a quibus ne ſolum nephandis implicati ſunt, quos non decet hereſes ſe iniciare ſed potius extirpare diſtricte precipimus & mandamus, quatenus de cetero a talibus abſtineant neque dent laycis ad hoc aliquam occaſionem ſed eos ſalubribus monitis & hortamentis ab his cohibeant, laycos vero talibus irretitos niſi deſtiterint a ſacra communione excludatis & pro abſolutionis beneficio obtinendo ad ſuperiorem remittatis, Rurſum etiam plebani & Eccleſiarum curati circa conjuges

propter

propter alterius eorundem adulterium atque delictum quo ad conjugalem servitutem judicialiter divortiatos & separatos in audiendis eorum confessionibus ad continendum casteque vivendum judicant, qui si continere noluerint, ipsis ut alterutrum se ad pristinam cohabitationem reaccipiant persuadeant atque injungant, si vero conjugem propter alterius conjugis delictum divortiatum post seu etiam ante celebratum divortium similiter adulterasse ex confessione hujusmodi compererint talem ut conthorali suo a quo extitit divortiatus delictum delicto compensando ignoscat & illum reconciliando ad pristinam cohabitationem recipiat, moneant, qui nisi utrumque in premissis annuerint, absolutionis beneficium ipsis denegetur & ad superiorem pro absolutionis beneficio obtinendo remittatur, volentes atque districte precipientes premissa ac omnia & singula in prioribus nostris processibus observari . . . Datum feria tertia post festum beati Martini Episcopi quinta decima Novembris Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

CCXVI.

SYNODALIS *JUBILATE* 1492.

Georgius de Gemmyngen &c. Ad hoc ſuſcepti per nos officij debitum ſe extendit, ut omnium nobis ſubditorum preſertim clericorum pravos mores abuſiones exceſſus & alia vitia ſtatum clericalem denigrantia & divinam in eos vindictam provocantia ſalubribus monitis & mandatis etiam cum penarum adjectionibus in melius reformemus & ut beneficijs que poſſident in divinis & alijs oneribus incumbentibus debite preſint ſeque alias taliter habeant & regant, ut nos una cum ipſis ſummo omnium paſtori Deo excelſo dignum ſimus cum laude fructum allaturi, verum pro extirpandis hujusmodi noſtrorum ſubditorum exceſſibus & reformandis eorum moribus quam plures a nobis & predeceſſoribus noſtris annis & temporibus retroactis proceſſus ſynodales & alia monita & mandata ſalutaria emanarunt, quos & que omnia & ſingula & preſertim proceſſum ſynodalem feria tertia poſt feſtum ſancti Martini Epiſcopi proxime preteriti a nobis emanatum cum omnibus & ſingulis ſuis clauſulis & punctis & capitulis inibi comprehenſis repetimus & innovamus &c. Datum feria tertia poſt Dominicam *jubilate* quinta decima menſis Maij Anno &c. nonageſimo ſecundo.

CCXVII.

SYNODALIS MARTINI 1492.

Georgius de Gemmingen &c. Quotiens mente revolvimus quantum sit superiorum in delinquentes sibi subditos remissa correctio atque negligentia reprehensiva, totiens cura ac animadversio nos angit sollicita ut juxta commissi & crediti nobis officij debitum subditorum nostrorum presertim clericorum prevaricationibus obviantes mores eorum effrenatos salutaribus monitis & mandatis refrenemus ac provide directionis flagellum in manibus tenentes eos a devijs adinstar aurige circumspecti equorum gressus provide dirigentis flagelli debita correctione adhibita ad rectitudinis viam reducamus, ne sanguis ipsorum de nostris manibus requiratur, sed omnium vitiorum labe abstersa in semitis justitie & mandatorum Dei ambulantes nos una cum ipsis supernorum mereamur civium consortio in celesti patria associari, Hinc est quod omnes & singulos processus sinodales per nos & antecessores nostros actis retro temporibus pro hujusmodi subditorum nostrorum excessuum extirpatione & morum reformatione emanatos ac etiam plerumque innovantes & repetentes mandamus illos in omnibus & singulis clausulis suis punctis & capitulis inibi comprehensis . . . inviolabiliter observari. Et quoniam domum Domini dicente psalmista decet sanctitudo & ut salvator ipse inquit, Domus mea domus orationis est, nos in hoc clericorum nobis subditorum indiscretos mores

res

res & insolentias quos plerique in alterutrum in ecclesijs committere & facere consuevere, succidere & extirpare cupientes Vos omnes & singulos supradictos & vestrum quemlibet in virtute sancte obedientie & sub excommunicationis late sententie aliisque penis per nos vel officialem nostrum infligendis monemus atque districte precipimus, quatenus in ecclesijs cimiterijs & alijs locis Deo dedicatis ab omni garrulatione jurgijs rixis contumelijs ae verbis probrosis nec non ab omnibus ire invidie & livoris signis ac conspirationibus conclamationibus vanisque fedis & prophanis colloquijs confabulationibus & concertationibus que nec laycis licebunt penitus & omnino abstineatis & vos ab hujusmodi cohibeatis necullum premissorum etiam extra ecclesias aliquatenus committatis, sed ut altissimo debitus in ecclesijs honor exhibeatur divina in ecclesijs vestris cum omni devotione modestia mansuetudine & humilitate peragetis officia aliasque decenter & honeste Vos habituri & recturi, ne layci quibus ad preessendum verbo & exemplo a Domino estis constituti, vobis tanquam lupis rapacibus infesti sint, sed ut fideles animarum vestrarum pastores Vos esse sentiant, Insuper etiam cum ne solum a malo sed ab omni specie mali abstinendum est, plebani & ecclesiarum curati in audiendis mulierum confessionibus caveant omnino ne illarum confessiones in latebris & angulis seu alijs ecclesie locis absconditis & obtenebratis sed in patulo & publico ecclesie loco ubi aliorum aspectui valeant manifeste apparere, audiant,

nec

nec ipſis multum, niſi quantum confeſſionis neceſſitas requirit immorari preſumant, mulieribus vero nimis frequenter confiteri volentibus certum tempus aſſignent extra quod, neceſſitatis tempore excepto, eas non audiant nec alijs ſe colloquijs eisdem exponant, ne de ſuſpicionis nota valeant aliquatenus reprehendi ſcituri nos, vel officialem noſtrum adverſus omnes & ſingulos tam preſentis quam etiam priorum noſtrorum proceſſuum ſinodalium hujusmodi transgreſſores ad penarum & ſententiarum antedictarum declarationem ac mulctas graviores juxta delicti exigentiam edubie proceſſuros. ne autem &c. Datum noſtri ſub appenſione ſigilli feria tercia poſt feſtum ſancti Martini Epiſcopi tredecima menſis Novembris Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo.

CCXVIII.

SYNODALIS *JUBILATE* 1493.

Georgius de Gemmyngen &c. Quoniam clericali charactere inſigniti & ad regale ſacerdotium a Deo patre omnipotente, ad offerendum & immolandum pro peccatis & reatibus hominum agnum immaculatum Dominum noſtrum jheſum Chriſtum unicum ejus filium in quo ſalus vita & reſurrectio noſtra conſtituitur vocati & electi ſicuti ceteris in ordine & dignitate preferuntur, ita etiam pre alijs caſtitate ſobrietate & manſuetudine

tempe-

temperantia alijsque virtutibus ac bonis exemplis operibus atque doctrinis habundantius eos pullulare atque exuberare decet ut cristianus populus de quanto clericos ipsos bonis conspexerit virtutibus operationibus & exemplis proficere de tanto illos tanquam fideles Dominici gregis pastores atque directores devota & prona voluntate ferventius ymitetur, sed quia humana conditio ex antiqui hostis fallaci suggestione ad ea potius que animarum interitum pariunt, quam ea per que ipsarum salus procuratur animarum extitit procliva, idcirco nos qui ad hoc ut clericos nobis subditos qui pudicitie & clericalis honestatis habenis laxatis a rectitudinis via ad modum equi effrenati deviare solent refrenemus & a devijs hujusmodi revocemus sumus a Domino constituti, volentes in hoc nostrorum inherere vestigijs predecessorum & perversis clericorum moribus salubribus remedijs monitis atque mandatis, prout nobis ex officij nostri humeris nostris impositi debito incumbit obviare vobis universis & singulis supradictis in virtute sancte obedientie & sub excommunicationis late sententie aliisque censuris mulctis atque penis etiam arbitrarijs per nos vel officialem nostrum infligendis districte precipiendo mandamus, ne tabernas publicas nisi necessitatis vel itineris causa Choreas loca suspecta concubinas aut mulieres de libidine suspectas visitetis nec easdem in vel extra domos vestras foveatis vel teneatis aut nutriatis ludisque ac laicorum conventibus ebrietatibus concertationibus blasphemijs & spectaculis publicis non intersitis, nullus-

nullusque vestrum se coram quocunque judice seculari conveniri patiatur, nec vos aut aliquis vestrum quemcunque clericum pro quacumque causa excessu sive fore facto coram Dominis temporalibus seu ipsorum advocatis sive officialibus aut judicibus secularibus accusare deferre vel convenire presumatis aut aliquis vestrum presumat per se vel submissas personas publice vel occulte directe vel indirecte quovis quesito colore vel ingenio, Insuper etiam vos omnes & singulos supradictos requirimus & monemus ut festo nativitatis sancti Johannis Baptiste proxime futuro absque mora vestris in beneficijs & apud illa resideatis personaliter, illa proprijs in personis debite deserrituri, neque vos ab eisdem absentare aut ea per alios officianda atque deservienda commendare, neque vos Decani & Camerarij aliquem commendarium ad cujuscunque beneficij officiaturam sive commendam aliquatenus admittere presumatis aut admittatis, nisi vos de nostro aut Officialis nostri indulto sigillato infra hinc & sequentis sancti Johannis Baptiste proxime futuri absque prolixiori mora legitime certificaverit. Sciturí nos vel officialem nostrum &c. Datum feria tertia proxima post Dominicam *Jubilate* Anno &c. nonagesimo tertio.

CCXIX.

CCXIX.

SYNODALIS *MARTINI* 1493.

Georgius de Gemmingen &c. Quemadmodum arbor cujus vetera ac pallida ramorum folia ſupervenientis hyemis congelacio atque pruina diripuit ex ſubſequentis veris calore renaſci & nova virentia folia novosque fructus producere ſolet, ita & nos ſumpto inde exemplo Dei caritatem quam in plerisque clericis nobis ſubjectis per pravorum & perverſorum morum frequentationem ac bonorum operum atque virtutum abjectionem extinctam fore comperimus ut veteribus folijs id eſt pravis & perverſis moribus ſublatis ad bonos mores ſectandos uberesque fructus proferendos ſalutaribus monitis atque mandatis prout officij noſtri debitum id exigit, reſuſcitare cordiali deſiderio affectamus, & licet tam nos quam predeceſſores noſtri pluribus retroactis ſynodis & temporibus ad effectum predictum & precipue ad extirpandum in clericis nobis ſubjectis deteſtandum illud concubinatus vitium quo Deus omnipotens graviter offenditur & maximum in clero ſcandalum ſuſcitatur quam plures & diverſos ſalutares emiſerimus atque emiſerint proceſſus ſynodales, eos tamen in plerisque ex vobis aut parum aut nichil quod dolenter referimus, fructificaſſe percipimus, cum nonnulli veſtrum hujusmodi proceſſibus ac ſalutaribus monitis atque mandatis omnino ſpretis atque poſtergatis in hujusmodi deteſtando concubinatus vicio exiſtunt proch dolor adeo

 depra-

depravati ut concubinas & ſuſpectas mulieres in & extra domos ne ſolum tenere atque fovere, verum etiam, quod deterius eſt, illas plerumque ad loca vicina, ubi dum plerique clericorum ex more tum ob Eccleſiarum patrocinij ſive dedicationis ſolempnitates tum ob ſolempnes quorundam anniverſariorum ac fraternitatum peractiones crebro convenire atque congregari ſolent, ſecum deferre easque in convivijs ad inſtar lenonum & publicanorum ſuis aſſociare & collocare lateribus, plerumque etiam cum ipſis concubinis eſtuaria publica locorum hujusmodi frequentare ac locis in eisdem per biduum vel triduum moram facientes continuis comeſſationibus ebrietatibus fornicationibus lascivijs & lenocinijs vacare atque tripudiare non verentur nec curantes ad propria remeare donec ſuis voluptatibus & iniquis deſiderijs; in quibus gloriantur & jubilant, ſatisfecerint, in gravem omnipotentis Dei offenſam eternamque miſerarum animarum ſuarum dampnationem nec non clericalis ſtatus deteſtationem ac perniciosum Chriſti fidelium exemplum. Nos vero attendentes, quod ne ſolum de commiſſis corrigendi ſed etiam de committendis exceſſibus frequenti ſollicitudine cohibendi ſunt ſubditi, ut condigna pro commiſſis correctione puniti quos alias caritas Dei a malo non revocat, formidine ſaltem pene territi bonos mores ſectantes a pravis de cetero ſe noverint moribus cohibere, volentesque commiſſi nobis officij debitum uberius proſequi & radicem aſſueti ſceleris penarum pocius executione quam verbo-

verborum prolatione extirpare idcirco vobis omnibus ſupradictis & ſingulis & illis preſertim qui in pretactis flagitijs & deteſtabili concubinatus & lenocinij vicio reos & conſcios ſe eſſe noverint & veſtrum ac eorum cuilibet ſub cenſuris penis & muletis infra ſcriptis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus pro commiſſis penitentiam agentes condignam vos & ſe de cetero a premiſſis comeſſationibus ebrietatibus fornicationibus laſcivijs & lenocinijs omnino ſubtrahatis atque ſubtrahant concubinasque & ſuſpectas mulieres hujusmodi protinus & absque mora abiciatis atque abiciant nec easdem vel alias reaſſumentes in domibus vel extra foveatis teneatis vel nutriatis aut teneant foveant vel nutriant quoquo modo, ſi quis autem concubinam non dimiſerit aut dimiſſam vel aliam reaſſumpſerit & reaſſumptam vel non dimiſſam intra unius menſis ſpacium poſt preſencium publicationem non abjecerit cum effectu neque ſe a premiſſis lenocinijs, comeſſationibus laſcivijs & flagitijs ſubtraxerit, talem ſive tales tociens quociens ſecus fecerint ex tunc prout ex nunc & ex nunc prout ex tunc a perceptione fructuum omnium & ſingulorum beneficiorum ſuorum que ſub noſtro Archidiaconatu poſſident ad anni integri aut prolixioris vel brevioris per nos juxta delicti exigentiam arbitrandi temporis ſpacium ipſo facto ſuſpendimus & ſuspenſos eſſe denuntiamus, eorundem beneficiorum ſuorum fructus pro una fabrice eccleſie ſive eccleſiarum in qua vel quibus beneficiati fuerint & alia medietatibus beneficij ſeu benefi-

ciorum hujusmodi usibus & profectibus applicari mandantes salvis nichilominus alijs penis sentententijs &c. Datum feria tercia proxima post festum sancti Martini Episcopi Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio.

CCXX.

SYNODALIS *JUBILATE* 1494.

Georgius de Gemmyngen &c. Effrenatam ac indiscretam clericorum nobis subditorum conversationem moresque incompositos ac vitam dissolutam aliaque detestabilia vicia quibus plerique in divine Majestatis offensam ac clericalis status scandalum insudare consueverunt, refrenare ac eos ad recte exemplariter vivendum prout nostri officij debitum exigit reducere cupientes omnes & singulos processus sinodales ac salutaria monita atque mandata tam a nobis quam predecessoribus nostris ad effectum predictum actis retro temporibus atque sinodis . . . presentibus repetimus &c. Datum feria tercia post Dominicam *Jubilate.* Anno Domini M°CCCC° nonagesimo quarto.

CCXXI.

CCXXI.

SYNODALIS *MARTINI* 1494.

Georgius de Gemmyngen &c. Sufcepti per nos officij cura nos follicitat ut fubjectorum utilitatibus in illis prefertim per que faluti confulitur animarum providere curemus, hinc nos evidens evocat ratio ut dum reformandis fubditis noftra folerter vacat intencio, ea que periculofiora funt nequaquam absque reformacionis remedio relinquamus, & licet follicitì paftoris more clericorum nobis fubjectorum mores emendare ipfosque a reprehenfibilibus ad virtutum femitam per crebra falutaria mandata in proceffibus noftris retroactis facrofanctis finodis emiffis comprehenfa vigilanti ftudio revocare curaverimus, congruit tamen ne a cepto virtutum opere mens humana que ad deteriora femper eft proclivis, torpefcat, eosdem nobis commiffos clericos iterum atque iterum per crebram & hortationum & monitionum ac mandatorum hujusmodi repetitionem & innovationem impellere, ut incipientes proficiant & proficientes pudicitiam viteque fanctimoniam infectando perficiant, idcirco proceffum noftrum fynodalem per nos feria tertia poft feftum fancti Martini Epifcopi de Anno Domini minoris numeri nonagefimo tercio proxime decurfo emiffum & publicatum in fpecie nec non omnes & fingulos alios per nos & predeceffores noftros hactenus emiffos proceffus fynodales quem & quos prefentibus pro infertis haberi volumus in genere prefentibus repeti-

mus &c. Datum feria tercia proxima poſt feſtum ſancti Martini Epiſcopi Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto.

CCXXII.

SYNODALIS *JUBILATE* 1495.

Georgius de Gemmyngen &c. Crebris proceſſuum & ſalutarium monitionum atque mandatorum tam a nobis quam predeceſſoribus noſtris pro ſalubri clericorum nobis ſubditorum regimine actis retro ſynodis emiſſorum ac publicatorum repetitionibus atque innovationibus inſiſtere & ad eorundem obſervationem mandatorum ſubditos hujusmodi attencius impellere magis eſſe profuturum haud dubitamus quam nova ſemper veteribus implicando faſtidium ſubditis generare, idcirco omnes & ſingulos tam noſtros quam predeceſſorum noſtrorum proceſſus ſynodales hactenus emiſſos & publicatos, quibus inter alia ſubditi nobis clerici ne tabernas publicas . . . viſitent &c. &c. Datum feria tercia poſt Dominicam *Jubilate* Anno Dñi MCCCCXC quinto.

CCXXIII.

CCXXIII.

SYNODALIS *MARTINI* 1495.

Georgius de Gemmyngen &c. Cum nos ſubditorum cuſtodiam gerentes ſollicitis excitati vigilijs eorum ſaluti intendere debeamus & poſt plures a nobis retro actis annis emanatus penales proceſſus plura enormia nephanda ac deteſtanda facinora ab eisdem nobis ſubjectis perpetrata conſpexerimus per que nimirum Deo ignominia non modica ac eccleſijs & eccleſiaſtico ſtatui diffamia ſcandalaque quam maxima generantur, perverſorum audacia id exigit ut nedum delictorum prohibitioni pena ſubjuncta ſed & earundem penarum executioni accurate inſiſtamus ut rebelles ipſi penarum hujusmodi metu a ſuis arceantur inſolencijs & alij eorum exemplo perterriti proſilire ad ſimilia pertimescant, idcirco vobis univerſis & ſingulis ſupra dictis in genere & veſtrum cuilibet in ſpecie in virtute ſancte obediencie & ſub excommunicationis aliarumque cenſurarum etiam extraordinarijs & arbitrarijs penis quas contrafactores & negligentes pariter & rebelles quoslibet Canonica monitione preſentis previo ipſo facto incurriſſe volumus iterum atque denuo firmiter & diſtricte precipiendo mandamus, quatenus omnium vitiorum labe abſterſa honeſte & decenter vitam agatis tonſis capitibus clericali corona cum ſolita amplitudine ornatis ſuccisisque capillis incedendo, veſtibus clericalibus induti ab armatura placitis publicisque ſpectaculis, choreis negotiationibus mer-

mercantijs quibuslibetque illicitis contractibus penitus abstinendo in tabernorum Officijs vitandis tabernisque non nisi itineris cibi potusve sumendi aut recuperandarum virium causa vos ad easdem diverti contingat frequentandis, in non nutriendis aut apud vos vel alios tenendis seu fovendis concubinis aut suspectis mulieribus, in non visitando easdem aut loca que inhabitant suspecta, in non exercendo cujuscunque generis ludos presertim ejus quod ex fortune fluxu & ex detestando cupiditatis radice dependere & procedere dinoscitur, puta taxillorum & cartharum, preterea sub eisdem quibus supra censuris & penis precipiendo mandamus, ne nubentes quoscunque nisi proclamationibus solitis debitisque intervallis distinctis premissis aut dum temporum prohibitio vel aliud canonicum impedimentum obsistat non nisi nostro aut superioris nostri indulto sigillato desuper prehabito quovismodo benedicatis seu intronisetis, quodque de cognitione decisione vel comportatione causarum judicialem indaginem exposcentium nullo vos pacto intromittatis, sed easdem ad hos quorum interest, audiendas, cognoscendas & decidendas indilate transmittatis. Item quod nullus vestrum coram aliquo seculari judice seu potestate cujuscunque dignitatis aut eminentie existat conventus compareat, nec alium clericum coram eodem citet accuset vel conveniat. Item quod omnia & singula bona mobilia & immobilia beneficiorum vestrorum literasque scripturas & instrumenta super eisdem confectas & confecta diligenti cu-

retis

retis custodia cultura & structura conservare, deperdita collapsa & diruta pro posse & nosse recuperare & restaurare, quodque divina officia etiam vigilias missas memorias commemorationes & anniversarias peractiones precipue in ecclesijs vestris tam cantando quam legendo cum pausis debitis absque clamoribus & confusionibus penitus seclusis juxta earumdem fundationes & institutiones piasque defunctorum voluntates plene cum eo quo statuta sunt clericorum numero honeste & decenter peragatis & adimpleatis. Item quod omnes & singulos a nobis aut officiali aut superiore nostro suspensos excommunicatos vel interdictos pro talibus & ut tales juxta sanctorum canonum instituta denuntietis habeatis reputetis & vitetis sicque ab alijs haberi reputari & evitari faciatis. Item quod nullum ad aliquod beneficium deserviendum aut inofficiandum aliquatenus admittatis, nisi nostro aut officialis nostri indulto sigillato desuper prehabito & ostenso, si vero preter nostrum aut officialis nostri indultum hujusmodi ullum beneficium alicui commendaret vel commendatum ab altero susciperet eundem vel eosdem nobis aut dicto Officiali nostro manifestetis & pandatis sine mora, Vosque Decani & Camerarij ac secretarij & diffinitores Capitulorum ruralium circumspectum geratis oculum ne aliquem in confratrem & concapitularem vestrum recipiatis, nisi prius de obedientia nobis aut Officiali nostro facta fidem litteris sigillo nostro communitis vobis fecerit condignam. Scituri nos vel officialem nostrum &c. Datum feria

ria tertia post festum sancti Martini Episcopi Anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto.

CCXXIV.

SYNODALIS *JUBILATE* 1496.

Georgius de Gemmyngen &c. Inter cunctas officij nostri curas & solicitudines illam non esse minimam reputamus, ut clericorum nobis subditorum conditionem & statum paterne provisionis vigilantia ne de negligentie culpa argui vel etiam puniri nos contingat, respiciamus, quatinus floridis actibus vigorosius insistentes ad felicitatis bonum in Domino prosperentur, hinc est quod processum synodalem de festo Sancti Martini Episcopi in proxima per nos celebrata synodo clericali a nobis emanatum in specie nec non omnes & singulos alias processus synodales tam a nobis quam etiam predecessoribus nostris actis retro temporibus atque synodis sub quibusvis formis penis censuris clausulis atque capitulis quomodolibet emanatos presentibus repetimus & innovamus, mandantes atque districte precipientes eosdem processus & mandata per vos omnes & singulos supradictos prout unumquemque concernunt cum omnibus & singulis clausulis & capitulis inibi contentis ac sub censuris penis mulctis inibi promulgatis ac si singuli processus hujusmodi presentibus de verbo ad verbum inserti essent inconcusse & inviolabiliter observari, Insuper vero licet in eisdem per

nos

nos repetitis proceſſibus ſynodalibus dicti clerici & beneficiati nobis ſubjecti inter alia ut indecenti habitu & veſtitu clericali incedant crebrius ſint commoniti plerique tamen ex eis, quod dolenter referimus, hujusmodi mandatorum prevaricatores effecti veſtes & tunicas nimium ſtrictas & decurtatas, ſimiliter & bambaſia dimidiata cum collerijs & capicijs ac manicis nimium preciſis, nec non camiſias bambaſiales circa pectoralia plicatas cum manicis amplis & plicatis ſimiliter & birreta caudata & auriculata ad ſuarum iniquitatum & impudicarum mentium oſtentationem & manifeſtationem more lenonum & procorum in clericalis ſtatus & honeſtatis confuſionem deteſtationem atque ſcandalum deferre non erubuerunt, idcirco omnes & ſingulos ſupradictos clericos nobis ſubjectos in premiſſis culpabiles ſub eisdem quibus ſupra penis & cenſuris tenore preſentium requirimus & monemus quatenus hujusmodi indecentes veſtitum & habitum absque mora deponentes in habitu & veſtitu clericali honeſto & decenti incedant ac alias taliter ſe habeant & regant prout divinam in eos ultionem ac etiam noſtram vel dicti officialis noſtri correctionem Canonicam & condignam voluerint evitare. Rurſum etiam diſtricte precipiendo mandamus omnibus & ſingulis beneficiatis nobis ſubjectis, ſi qui de feſto nativitatis ſancti Johannis Baptiſte proximo inſtante ad annum futurum a ſuis ſe beneficijs rationabili voluerint de cauſa abſentare aut illa alijs ad deſerviendum vel officiandum commendare quatenus nos vel officialem noſtrum de

hoc

hoc infra hinc & festum beate Margarethe Virginis proxime & immediate futurum ulterioribus mora & dilationibus penitus cessantibus legitime certificasse nec non absentandi vel commendandi indulta sigillata desuper a nobis vel dicto officiali nostro impetrasse debeant cum effectu alioquin lapso dicto sancte Margarethe festo unicuique ipsorum citra penas & censuras in dictis per nos repetitis processibus synodalibus contentas penam dupli ejus, quod nobis pro hujusmodi absentia sive commenda pro jure nostro Archidiaconali solvi consuetum est per quemcunque ipsorum sic se absque indulto nostro absentancium nobis aut sigillifero nostro in culpam negligentie irremissibiliter persolvendam infligimus per presentes. ne autem aliquis &c. Datum nostri sub appensione sigilli feria tercia proxima post Dominicam *Jubilate* Anno Domini M°CCCC° nonagesimo VIto.